

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

DE SYLLABARUM

IN

BREVEM VOCALEM DESINENTIUM APUD HOMERUM PRODUCTIONE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI IN ALMA ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT ET

DIE XXVI. MENSIS MARTII A. MDCCCLXII.

PUBLICE DEFENDET

MATTHIAS WOLLSEIFFER

MARCODURANUS RHENANUS.

MONASTERII,

TYPIS THEISSINGIANIS.

MDCCCLXII.

VIRO AMPLISSIMO DOCTISSIMO HUMANISSIMO

MATTHIAE MEIRING

PHILOSOPHIAE DOCTORI, GYMNASII MARCODURANI DIRECTORI,
AQUILAE RUBR. IV. CLASS. EQUITI ETC.

PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

Mirantur fortasse lectores, quod post Hoffmanni librum doctissimum, qui inscribitur „Quaestiones Homericae“, Clausthaliae 1842 editum, in eadem re elaborare audeam. Neque enim debet dubitari, quin plerique Hoffmanni libri lectores ingenii acumine et inventionis sagacitate a studio in hac materia collocando deterriti sint. Deterritus essem haud dubie ego quoque, si, quod vellem mihi fatendum non esset, librum prius cognovissem. Ex eo enim tempore, quo Homeri lectionem accuratius tractare coepi, saepissime de prosodia in carminibus Homericis adhibita quaerere institui. Verum quum rationes syllabarum brevium productarum a viris doctis allatae omnino displicerent, alias illius licentiae quae videbatur causas afferre studui. Itaque quum ad veteris linguae Graecae indolem cognoscendam in dialectorum grammaticaeque comparativae studium incumberem et multas voces, quarum fronti breves syllabas producendi vis inhaerere videbatur, antiquis temporibus a binis consonis incepisse invenirem, in mentem venit quaerere, num forte omnes huiusmodi syllabae iure duarum consonarum postero tempore exstinctarum producerentur. Quod studium mirum in modum auctum est cognita Ahrensii dissertatione in Mus. Rhen. N. S. II. p. 167 sqq. Ita evenit, ut, quum studiis Academicis finem impositurus quasi tirocinium in lucem edere instituerem; de his syllabis agere mihi propositum esset.

Atque hunc libellum iam plane confeceram et typis expressurus eram, quum Winiewskius Academiae Monasteriensis professor meritissimus, me certiorem fecit exstare egregium Hoffmanni librum Quaestionum Homericarum Quo libro cognito video multa Hoffmannum iam ante nonnullos annos docuisse, quae primum me invenisse putavi. Multis tamen in rebus a viro docto me distare lectores facile intelligent. Ab Hoffmanno enim peccatum esse videtur duabus ex causis. Ac prima quidem illa est, quod, quum ab Homero, qui finis quaestionis debet esse, exordium capiat, in orbem quasi agitur et praecepta dat magis excogitata, quam solidis argumentis demonstrata. Nam ex productionibus ipsis efficit voces illas syllabas excipientes Homeri tempore duabus in fronte consonis instructas fuisse, quum mea quidem sententia primum illas voces re vera antiquis temporibus a binis consonis incepisse demonstrandum et tum demum ex productionibus adhibitis consonas initiales Homeri aetate viguisse concludendum esset. Altera causa est, quod, quum via ac ratione procedere sibi videtur, in grammatica comparativa non satis circumspectus ad sententiam alterius consonarum amissae confirmandam saepissime ex cognatis linguis formas et voces petit, quae cum Graecis comparari omnino nequeunt. Comparat enim, ut exemplo utar, λίσσομαι cum verbo Thiudisco „gleiten" (§. 86, 2 a), λιγύς cum Thiud. „fliegen" (§. 86 1 b), μελίη cum Thiud. „schmelzen" (88, 1 a), μόθος cum Gothorum smeithan (schmieden) (88, 1 d).

Equidem ea via progrediendum esse putavi, ut primum in uno conspectu ponerem copiam earum vocum, quarum frontem litteram aut alteram aut utramque amisisse ex dialectorum usu grammaticaque comparativa effici po-

test, quae quasi fundamenta sunt quaestionis, deinde eas voces, ante quas brevium syllabarum productio cernitur, re vera antiquis temporibus a binis consonis incepisse demonstrarem. Ita via munita concludere licet illas litteras quamvis postero tempore amissas Homeri aetate non prorsus exstinctas esse, sed earum vim in brevium syllabarum productione apparere.

Quae quum ita sint, hanc meam quantulamcunque operam etiam post Hoffmanni Quaestiones non prorsus inutilem fore spero.

Ἐγὼ συμβάλλομαι τοῖσι ἐμφανέσι τὰ μὴ γιγνωσκόμενα τεκμαιρόμενος.

Herod. II, 33.

§. 1.

Quo ex tempore prosodia ad artem certaque praecepta redigi coepta est, in hexametris epicis eae syllabae, quae, quamquam breves sunt, multis locis longam mensuram explent, maximas semper viris doctis praebuerunt difficultates. Atque veteres iam in his syllabis offendisse ostendunt eorum hac de re subtiles quaestiones. Nam ut communem hexametri et syllabarum mensuram, in quam saepissime a poeta peccatum esse videbant, aut adiuvarent aut excusarent, versus alios *προκεφαλαίους*, *προκοιλίους*, *δολιχούρους*, alios *ἀκεφάλους*, *λαγάρους*, *μειούρους* dixerunt, quod ex Athenaeo (cf. Hermann. de metr. p. 68) ex Eustathio (p. 900 l. 6 seqq.), et Dracone (p. 7 l. 8) cognosci potest. Neque recentiorum quicunque inde a renatis litteris in praeclarissimis illis antiquitatis reliquiis aut critici aut interpretes operam collocaverunt, iure incusari possunt, quod studium ad indagandas migratae prosodiae causas non contulerint; sed quum in illis syllabis producendis Homerus ab usu ceterorum poetarum recedere videretur, eas in exceptionem cadere iuxtaque tractandas esse censebant. Primus autem Hermannus de hac prosodiae parte seorsum egit. Etenim quum ad Ruhnkenii de Argonauticis sententiam reiiciendam copiosius et enucleatius de Orphei numeris disserere deberet, omnes omnium poetarum qui post

Homerum viguerunt locutiones, in quibus illa heroici versus licentia apparet, congessit; sed quibus terminis tum munus eius erat circumscriptum, singula non tam pertractare, quam enumerare potuit. Deinde Spitznerus de hac quaestione bene meritus est, quod in libro quem de versu heroico scripsit, Homericos locos illa difficultate laborantes ut optime iungendi videbantur composuit multaque de iis scite et docte disseruit.

§. 2.

Verum nostris temporibus quum multis locis, quibus illa heroici versus licentia apparebat, remedium allatum sit, mihi dubium non videtur, quin illas syllabas in carminibus Homericis summo iure longarum vice fungi possit demonstrari. Priusquam autem ad hanc rem accedamus, a proposito nostro non abhorrere videtur quaerere, num illae rationes quas iam alii attulerint ad productionem defendendam sufficiant.

1. Atque primum quidem multi sunt qui putent accentum, quo syllaba brevis notata sit, ad longam mensuram ei addendam valere. Quam laesae prosodiae excusationem iam Eustathius etiam atque etiam affert (cf. comment. ad Il. α 4 p. 13, α 193 p. 80, γ 40 p. 380 et prae omnibus locum insignem ad Od. γ 230 p. 1464), eamque non ex eius ipsius ingenio profectam, sed ex veterum metricorum de his syllabis praeceptis haustam esse ex eo intelligere licet, quod Draco Stratonicensis (de metr. poetarum p. 6 seqq. et p. 149) hoc praecepto cum illo paene concinit. Hanc veterum sententiam, accentu fieri ut vox diutius in syllaba remaneat, amplexus est Hermannus (cf. elem. doctr. metr. p. 26). Cuius auctoritas quanquam in doctrina metrica plurimum valet, tantum abest ut egregiae sagacitatis critico quam argumentorum ponderi fidem habere malim, ut cum Matthiaeo (gramm. Graec. p. 21) et Buttmanno (gramm. Graec. maior. 17, 24 annot.) illam sententiam prorsus reiiciendam esse persuasum habeam. Etenim primum hac de re non dubito quin omnes mecum consentiant, Graecos accentum in versibus recitandis aut omnino neglexisse

aut cum pedum numerorumque moderatione coniunxisse. Alterum si accipitur, accentum omnino nullam vim habuisse concedendum est, sin alterum, accipere licet aurem prosodiae ab accentu discrepanti ita assuevisse, ut tantam vim absorbere non posset. Tum vero non satis constat, Homeri temporibus vocabula eo loco habuisse accentum, quo Hermannus eum positum esse arbitratur; nam haud magnam in dubitationem vocavit Ahrensii sagacitas quin antiquissimis temporibus ultima vocum syllaba rarissime accentu elata sit (cf. Ahrens. de dial. Aeol. p. 13). Deinde si accentui tanta vis attribuitur, ut eo posito syllabae finales ἀσπουδί, ἀναιμωτί, αὐτονυχί, aliorum adverbiorum producantur, qui fit ut multae syllabae, quae item accentu notatae sunt, ut finales vocum μεγαλωστί, μελεϊστί, semper corripiantur, aliae vero syllabae, quamquam accentum non habent, tamen longam mensuram expleant? Denique omnino dicendum est accentum in antiqua Graecorum prosodia nihil valuisse, quippe quae quantitatis quam dicunt principio ac fundamento nitatur et in ea accentus quantitati illi quidem, nunquam vero quantitas accentui se applicet.

2. Tum caesuram et interpunctionem, quae brevem syllabam excipit, ad breves syllabas producendas multum valere, viri docti contendunt. Atque iam veteribus hanc sententiam innotuisse apparet ex Eustathii annotatione ad Il. ζ 265 p. 645, ubi vulgatam scripturam defendit his verbis: μένεος, ἀλκῆς τε λάθωμαι (legendum est μένεος δ᾽ ἀλκῆς) τὸ δὲ μένεος ἐκτείνει τὴν λήγουσαν διὰ τὴν ἀρέσκουσαν Ἀριστάρχῳ τέλειαν στιγμὴν καὶ τὸ ἐν αὐτῇ χρόνιζον καὶ στάσιμον τῆς φωνῆς λόγῳ κοινῆς συλλαβῆς. Cui sententiae inter recentes Apelius (de metr. p. 196) atque Seidlerus (in epist. ad Lobeckium Aiaci huius adiuncta p. 435 seqq.) favent, quod interpunctio, quoniam consistere vocem et aliquam moram fieri postulet, syllabam, quae brevis sit, producat. Verum interpunctionem tantam in antecedentem syllabam potestatem habuisse, statui nequit, quum ne apostrophum quidem sustulerit neque ad hiatum excusandum valuerit.

Tum ad caesuram quod attinet, nemo erit qui caesuris infirmissimis et quae vix caesurae possint nominari, ut caesura semiquinaria, in qua saepissime illa licentia poetica cernitur (Il. ε 752, ϑ 396, τ 396, aliis locis), illam breves syllabas producendi vim audeat attribuere; neque vero et ipsa semiquinaria tantum efficere potest, quum ne pentametri quidem caesura, quae quin eadem ac fortasse maiore in versu potestate utatur non debet dubitari, nunquam ad longam mensuram brevi syllabae addendam valeat, id quod Hermannus (de metr. pag. 281, Handbuch der Metrik p. 239) et Spitznerus in dissertatione de media Graeci pentametri syllaba scripta) disertissime ostenderunt.

3. Aliud quo syllaba brevis producatur momentum in arsi positum esse viri docti contenderunt. Atque nonnulli versus inveniuntur, in quibus vel duae syllabae breves ob arsis vim longam mensuram explere videntur, ut Il. γ 172 αἰδοῖός τέ μοί ἐσσι φίλε ἑκυρέ; ε 343 ἡ δὲ μέγα ἰάχουσα ἀπὸ ἕο κάμβαλεν υἱόν. Sed primum mirum videtur, quod non nisi Homerus et qui vestigia eius premunt posterioris aetatis poetae epici huic licentiae indulgent, nunquam [1]) vero tragici eam adhibent. Illa autem licentia si vere arsis vi fundata esset, in postera quoque tempora transiisset, neque dubitandum est quin tragici libentissimo animo ea usuri fuissent. Tum admonendum est non solum in arsi syllabas breves produci, sed etiam numero decidente satis multas longarum vice fungi. Locos huc pertinentes Hermannus de metr. p. 71 composuit, quibus etsi iam nonnulli viri docti, inter quos Bentleius ab Heynio commemoratur, medelam afferre studuerunt, neminem adhuc in eandem cum illis sententiam concessisse, non est mirandum. Neque vero is arsis naturam perspectam habet, qui vim ei accedere existimet, quae ipsa adesse debet iam ante arsim. Nam ut arsis in hexametro epico proferatur, longa syllaba opus est, qua nitatur, velut in nostra

1) Duo loci qui huc referendi videntur (Soph. Ant. 134 et Eur. Hipp. 1154) corrupti sunt cf. Matthiae gr. gr. p. 69 ann. k.

lingua ad arsim efficiendam syllaba accentu instructa iam adesse debet. Verum a poeta carmina sua auditoribus, non lectoribus tradente prorsus alienum esse debet, ubi longa syllaba auditu postulatur, brevem ponere; nam risum movisset et in acerbissimam vituperationem venisset, si coram populo, qui, ut hexameter Homericus ipse testatur, tam insigni pulchri rhythmi sensu instructus erat, tantam sibi sumsisset licentiam. Itaque arsi illa breves syllabas producendi vis omnino non tribuenda esse videtur.

4. Nonnulli viri docti arsis vim geminatione liquidarum augeri censent, eamque doctrinam ad eas quoque syllabas, quae in thesi positae sunt, adhibent. Jam inter veteres hanc vim insequentis litterae liquidae Eustathius (ad Il. β 344 p. 170) et Draco Stratonicensis (de metr. poetarum p. 9) agnoverunt, quibus Ernestius et Heynius (vol. VIII. p. 413) consentiunt. Atque Spitznero quoque haec sententia arridet, quod ex ipsa harum liquidarum pronuntiatione enata sit. Cui duplicationi in mediis vocabulis poetas hic illic indulsisse haud scio an concedi possit, quamquam hac in re poetas alieni quid in linguam introduxisse eamque ob causam reprehensione non carere confitendum esset. Sed ne in mediis quidem vocabulis unquam geminantur liquidae, nisi iusta adest causa assimilationis (cf. Ahrens I. §. 8). Itaque non verisimile est in vocum initio causa assimilationis deficiente hanc duplicationem adhibitam esse. Tum iam Hermannus et Spitznerus animadverterunt, non in omnibus vocabulis, quorum prima littera est liquida, hanc geminationem inveniri, sed in certo tantum radicum numero conspici, quum poetae epici post Homericam aetatem vigentes etiam ante alias radices eam applicaverint (cf. Hermann. de Orphicis p. 699. 720). Itaque probandum mihi videtur, aliam productionis causam fronti illarum radicum inesse.

His omnibus perpensis nemo infitiabitur, quas causas viri docti productionis brevium syllabarum afferunt, has prorsus nullas esse, quum neque omnium syllabarum productionem explicent et aliam aliis locis excusationem praebeant.

§. 3.

Sed perfecta et orationis et compositionis arte monemur, ut ne in forma quidem quidquam ad perfectionis laudem deesse ac iure desiderari concedamus. Quae laus, si illarum de quibus quaestio est syllabarum ratio non habetur, versuum constructionem minime deficit, immo maxima in eis ars oculis nostris subiicitur. Quare a vero haud absonum erit accipere illa in prosodiam peccata librariis deberi. Etenim post praeclara illa Fr. Aug. Wolfii prolegomena nemo nisi qui in summa harum rerum versatur ignoratione nescit, quam formam nunc carmina Homerica habeant, eam ab Alexandrinis criticis constitutam esse, neque artem criticam ultra Aristarchi recensionem regredi posse. Sed ne ex prima quidem illa sive Pisistrati sive Hipparchi recensione, si liceret, eam carminum formam haurire valeremus, quam a divo vate acceperunt. Nam quamquam Nitzschio, Welckero, aliis concedere debemus, artem scribendi iam longe ante Pisistrati tempus in usu fuisse, tamen Wolfius satis multa testimonia attulisse mihi videtur, a rhapsodis potissimum carmina Homerica esse servata. Itaque intelligitur haec carmina, antequam litteris mandata sint, multas subiisse mutationes, quum quidem lingua ipsa illis saeculis Homeri aetatem a Pisistrati tempore disiungentibus omnino sit mutata. Nam quod in omnibus fere linguis observatur, quum principio severiore et graviore vocum sono utantur, cultura et commercio augescente maiorem in eis invalescere volubilitatem levitatemque, id, ut in nostra et praecipue in Latina lingua perspicitur, ita etiam apud Graecos latissime patuisse existimandum est. Jam qua nunc forma sunt carmina Homerica lectitantem effugere nequit, magnam inter hanc et posterioris aetatis linguam intercedere differentiam. Quam linguae mutationem plurimum in prosodiam valuisse credi debet. Nam quum et multae vocales natura longae sensim corriperentur et multae consonae, quae rudiorem quendam sonum viderentur edere, abiicerentur, factum est ut syllabae, quae Homeri aetate aut vocalis natura aut dua-

rum consonarum positione productae essent, postea productionis causa carerent. Eandem ob causam Plautus ceterique veteres poetae Latini saepissime in prosodiam peccare olim videbantur; sed nunc postquam remedia ad veteris linguae Latinae indolem cognoscendam parata sunt, prosodiam illorum tam stabilitam esse ac sibi constare patet, quam linguam fluctuare atque ancipitem esse conspicitur. Itaque si quis de Homeri prosodia vult agere, maximam curam adhibere debet, ut formas vocum, quales aetate Homeri viguerint, restituat. Neque vero cogitatione hae formae constitui possunt, ut studia Lennepii aliorumque virorum doctorum, quippe qui in origine vocum notanda fine exciderint, ostendunt, sed fontes quaerendi sunt, unde veram et primigeniam vocum speciem depromere possimus.

§. 4.

Atque primum quidem optimus fons formarum antiquarum sunt dialecti. Nam saepe fit, ut aliae dialecti ex lingua primigenia formas retineant, quae ex dialectis aliarum stirpium minus in retinendis formis antiquis tenacium prorsus evanuerunt. Ut exemplo utar, dialectus Aeolica retinuit βϱ aliasque litteras in fronte vocum positas, qui litterarum usus iam ex Jonica dialecto exulat Atque in nostra quaestione propterea magna dialectorum ratio habenda est, quod constat dialectos Homeri aetate non ita multum inter se discrepuisse (cf. Hermann. Graec. ling. dial. p. V). Verum ad dialectos cognoscendas remedia deficiebant, donec nostris temporibus Ahrensius insigni sagacitate maximoque labore doctrinam de dialectis perfecit.

2. Alter fons, ex quo illam qua Homerus usus est vocum formam haurire possumus, sunt grammatici. Sed hi quum carmina Homerica Jonica dialecto composita esse arbitrarentur, omnes formas ab Jonicae dialecti usu remotas ex Aeolica aut Dorica aut alia dialecto, cuius formis formae Homericae erant simillimae, petitas esse professi sunt. Quamquam in medio positum est Homerum talem variarum formarum farraginem componentem non ma-

Atque hunc libellum iam plane confeceram et typis expressurus eram, quum Winiewskius Academiae Monasteriensis professor meritissimus, me certiorem fecit exstare egregium Hoffmanni librum Quaestionum Homericarum Quo libro cognito video multa Hoffmannum iam ante nonnullos annos docuisse, quae primum me invenisse putavi. Multis tamen in rebus a viro docto me distare lectores facile intelligent. Ab Hoffmanno enim peccatum esse videtur duabus ex causis. Ac prima quidem illa est, quod, quum ab Homero, qui finis quaestionis debet esse, exordium capiat, in orbem quasi agitur et praecepta dat magis excogitata, quam solidis argumentis demonstrata. Nam ex productionibus ipsis efficit voces illas syllabas excipientes Homeri tempore duabus in fronte consonis instructas fuisse, quum mea quidem sententia primum illas voces re vera antiquis temporibus a binis consonis incepisse demonstrandum et tum demum ex productionibus adhibitis consonas initiales Homeri aetate viguisse concludendum esset. Altera causa est, quod, quum via ac ratione procedere sibi videtur, in grammatica comparativa non satis circumspectus ad sententiam alterius consonarum amissae confirmandam saepissime ex cognatis linguis formas et voces petit, quae cum Graecis comparari omnino nequeunt. Comparat enim, ut exemplo utar, *λίσσομαι* cum verbo Thiudisco „gleiten" (§. 86, 2 a), *λιγύς* cum Thiud. „fliegen" (§. 86 1 b), *μελίη* cum Thiud. „schmelzen" (88, 1 a), *μόθος* cum Gothorum smeithan (schmieden) (88, 1 d).

Equidem ea via progrediendum esse putavi, ut primum in uno conspectu pónerem copiam earum vocum, quarum frontem litteram aut alteram aut utramque amisisse ex dialectorum usu grammaticaque comparativa effici po-

test, quae quasi fundamenta sunt quaestionis, deinde eas voces, ante quas brevium syllabarum productio cernitur, re vera antiquis temporibus a binis consonis incepisse demonstrarem. Ita via munita concludere licet illas litteras quamvis postero tempore amissas Homeri aetate non prorsus exstinctas esse, sed earum vim in brevium syllabarum productione apparere.

Quae quum ita sint, hanc meam quantulamcunque operam etiam post Hoffmanni Quaestiones non prorsus inutilem fore spero.

Ἐγὼ συμβάλλομαι τοῖσι ἐμφανέσι τὰ μὴ γιγνωσκόμενα τεκμαιρόμενος.

Herod. II, 33.

§. 1.

Quo ex tempore prosodia ad artem certaque praecepta redigi coepta est, in hexametris epicis eae syllabae, quae, quamquam breves sunt, multis locis longam mensuram explent, maximas semper viris doctis praebuerunt difficultates. Atque veteres iam in his syllabis offendisse ostendunt eorum hac de re subtiles quaestiones. Nam ut communem hexametri et syllabarum mensuram, in quam saepissime a poeta peccatum esse videbant, aut adiuvarent aut excusarent, versus alios *προκεφαλαίους*, *προκοιλίους*, *δολιχούρους*, alios *ἀκεφάλους*, *λαγάρους*, *μειούρους* dixerunt, quod ex Athenaeo (cf. Hermann. de metr. p. 68) ex Eustathio (p. 900 l. 6 seqq.), et Dracone (p. 7 l. 8) cognosci potest. Neque recentiorum quicunque inde a renatis litteris in praeclarissimis illis antiquitatis reliquiis aut critici aut interpretes operam collocaverunt, iure incusari possunt, quod studium ad indagandas migratae prosodiae causas non contulerint; sed quum in illis syllabis producendis Homerus ab usu ceterorum poetarum recedere videretur, eas in exceptionem cadere iuxtaque tractandas esse censebant. Primus autem Hermannus de hac prosodiae parte seorsum egit. Etenim quum ad Ruhnkenii de Argonauticis sententiam reiiciendam copiosius et enucleatius de Orphei numeris disserere deberet, omnes omnium poetarum qui post

Homerum viguerunt locutiones, in quibus illa heroici versus licentia apparet, congessit; sed quibus terminis tum munus eius erat circumscriptum, singula non tam pertractare, quam enumerare potuit. Deinde Spitznerus de hac quaestione bene meritus est, quod in libro quem de versu heroico scripsit, Homericos locos illa difficultate laborantes ut optime iungendi videbantur composuit multaque de iis scite et docte disseruit.

§. 2.

Verum nostris temporibus quum multis locis, quibus illa heroici versus licentia apparebat, remedium allatum sit, mihi dubium non videtur, quin illas syllabas in carminibus Homericis summo iure longarum vice fungi possit demonstrari. Priusquam autem ad hanc rem accedamus, a proposito nostro non abhorrere videtur quaerere, num illae rationes quas iam alii attulerint ad productionem defendendam sufficiant.

1. Atque primum quidem multi sunt qui putent accentum, quo syllaba brevis notata sit, ad longam mensuram ei addendam valere. Quam laesae prosodiae excusationem iam Eustathius etiam atque etiam affert (cf. comment. ad Il. α 4 p. 13, α 193 p. 80, γ 40 p. 380 et prae omnibus locum insignem ad Od. γ 230 p. 1464), eamque non ex eius ipsius ingenio profectam, sed ex veterum metricorum de his syllabis praeceptis haustam esse ex eo intelligere licet, quod Draco Stratonicensis (de metr. poetarum p. 6 seqq. et p. 149) hoc praecepto cum illo paene concinit. Hanc veterum sententiam, accentu fieri ut vox diutius in syllaba remaneat, amplexus est Hermannus (cf. elem. doctr. metr. p. 26). Cuius auctoritas quanquam in doctrina metrica plurimum valet, tantum abest ut egregiae sagacitatis critico quam argumentorum ponderi fidem habere malim, ut cum Matthiaeo (gramm. Graec. p. 21) et Buttmanno (gramm. Graec. maior. 17, 24 annot.) illam sententiam prorsus reiiciendam esse persuasum habeam. Etenim primum hac de re non dubito quin omnes mecum consentiant, Graecos accentum in versibus recitandis aut omnino neglexisse

aut cum pedum numerorumque moderatione coniunxisse. Alterum si accipitur, accentum omnino nullam vim habuisse concedendum est, sin alterum, accipere licet aurem prosodiae ab accentu discrepanti ita assuevisse, ut tantam vim absorbere non posset. Tum vero non satis constat, Homeri temporibus vocabula eo loco habuisse accentum, quo Hermannus eum positum esse arbitratur; nam haud magnam in dubitationem vocavit Ahrensii sagacitas quin antiquissimis temporibus ultima vocum syllaba rarissime accentu elata sit (cf. Ahrens. de dial. Aeol. p. 13). Deinde si accentui tanta vis attribuitur, ut eo posito syllabae finales *ἀσπουδί*, *ἀναιμωτί*, *αὐτονυχί*, aliorum adverbiorum producantur, qui fit ut multae syllabae, quae item accentu notatae sunt, ut finales vocum *μεγαλωστί*, *μελεϊστί*, semper corripiantur, aliae vero syllabae, quamquam accentum non habent, tamen longam mensuram expleant? Denique omnino dicendum est accentum in antiqua Graecorum prosodia nihil valuisse, quippe quae quantitatis quam dicunt principio ac fundamento nitatur et in ea accentus quantitati illi quidem, nunquam vero quantitas accentui se applicet.

2. Tum caesuram et interpunctionem, quae brevem syllabam excipit, ad breves syllabas producendas multum valere, viri docti contendunt. Atque iam veteribus hanc sententiam innotuisse apparet ex Eustathii annotatione ad Il. ζ 265 p. 645, ubi vulgatam scripturam defendit his verbis: *μένεος, ἀλκῆς τε λάθωμαι* (legendum est *μένεος δ᾽ ἀλκῆς*) *τὸ δὲ μένεος ἐκτείνει τὴν λήγουσαν διὰ τὴν ἀρέσκουσαν Ἀριστάρχῳ τέλειαν στιγμὴν καὶ τὸ ἐν αὐτῇ χρόνιζον καὶ στάσιμον τῆς φωνῆς λόγῳ κοινῆς συλλαβῆς.* Cui sententiae inter recentes Apelius (de metr. p. 196) atque Seidlerus (in epist. ad Lobeckium Aiaci huius adiuncta p. 435 seqq.) favent, quod interpunctio, quoniam consistere vocem et aliquam moram fieri postulet, syllabam, quae brevis sit, producat. Verum interpunctionem tantam in antecedentem syllabam potestatem habuisse, statui nequit, quum ne apostrophum quidem sustulerit neque ad hiatum excusandum valuerit.

Tum ad caesuram quod attinet, nemo erit qui caesuris infirmissimis et quae vix caesurae possint nominari, ut caesura seminovenaria, in qua saepissime illa licentia poetica cernitur (Il. ε 752, ϑ 396, τ 396, aliis locis), illam breves syllabas producendi vim audeat attribuere; neque vero et ipsa semiquinaria tantum efficere potest, quum ne pentametri quidem caesura, quae quin eadem ac fortasse maiore in versu potestate utatur non debet dubitari, nunquam ad longam mensuram brevi syllabae addendam valeat, id quod Hermannus (de metr. pag. 281, Handbuch der Metrik p. 239) et Spitznerus in dissertatione de media Graeci pentametri syllaba scripta) disertissime ostenderunt.

3. Aliud quo syllaba brevis producatur momentum in arsi positum esse viri docti contenderunt. Atque nonnulli versus inveniuntur, in quibus vel duae syllabae breves ob arsis vim longam mensuram explere videntur, ut Il. γ 172 αἰδοῖός τέ μοί ἐσσι φίλε ἑκυρέ; ε 343 ἡ δὲ μέγα ἰάχουσα ἀπὸ ἕο κάμβαλεν υἱόν. Sed primum mirum videtur, quod non nisi Homerus et qui vestigia eius premunt posterioris aetatis poetae epici huic licentiae indulgent, nunquam [1]) vero tragici eam adhibent. Illa autem licentia si vere arsis vi fundata esset, in postera quoque tempora transiisset, neque dubitandum est quin tragici libentissimo animo ea usuri fuissent. Tum admonendum est non solum in arsi syllabas breves produci, sed etiam numero decidente satis multas longarum vice fungi. Locos huc pertinentes Hermannus de metr. p. 71 composuit, quibus etsi iam nonnulli viri docti, inter quos Bentleius ab Heynio commemoratur, medelam afferre studuerunt, neminem adhuc in eandem cum illis sententiam concessisse, non est mirandum. Neque vero is arsis naturam perspectam habet, qui vim ei accedere existimet, quae ipsa adesse debet iam ante arsim. Nam ut arsis in hexametro epico proferatur, longa syllaba opus est, qua nitatur, velut in nostra

---

1) Duo loci qui huc referendi videntur (Soph. Ant. 134 et Eur. Hipp. 1154) corrupti sunt cf. Matthiae gr. gr. p. 69 ann. h.

lingua ad arsim efficiendam syllaba accentu instructa iam adesse debet. Verum a poeta carmina sua auditoribus, non lectoribus tradente prorsus alienum esse debet, ubi longa syllaba auditu postulatur, brevem ponere; nam risum movisset et in acerbissimam vituperationem venisset, si coram populo, qui, ut hexameter Homericus ipse testatur, tam insigni pulchri rhythmi sensu instructus erat, tantam sibi sumsisset licentiam. Itaque arsi illa breves syllabas producendi vis omnino non tribuenda esse videtur.

4. Nonnulli viri docti arsis vim geminatione liquidarum augeri censent, eamque doctrinam ad eas quoque syllabas, quae in thesi positae sunt, adhibent. Jam inter veteres hanc vim insequentis litterae liquidae Eustathius (ad Il. β 344 p. 170) et Draco Stratonicensis (de metr. poetarum p. 9) agnoverunt, quibus Ernestius et Heynius (vol. VIII. p. 413) consentiunt. Atque Spitznero quoque haec sententia arridet, quod ex ipsa harum liquidarum pronuntiatione enata sit. Cui duplicationi in mediis vocabulis poetas hic illic indulsisse haud scio an concedi possit, quamquam hac in re poetas alieni quid in linguam introduxisse eamque ob causam reprehensione non carere confitendum esset. Sed ne in mediis quidem vocabulis unquam geminantur liquidae, nisi iusta adest causa assimilationis (cf. Ahrens I. §. 8). Itaque non verisimile est in vocum initio causa assimilationis deficiente hanc duplicationem adhibitam esse. Tum iam Hermannus et Spitznerus animadverterunt, non in omnibus vocabulis, quorum prima littera est liquida, hanc geminationem inveniri, sed in certo tantum radicum numero conspici, quum poetae epici post Homericam aetatem vigentes etiam ante alias radices eam applicaverint (cf. Hermann. de Orphicis p. 690. 720). Itaque probandum mihi videtur, aliam productionis causam fronti illarum radicum inesse.

His omnibus perpensis nemo infitiabitur, quas causas viri docti productionis brevium syllabarum afferunt, has prorsus nullas esse, quum neque omnium syllabarum productionem explicent et aliam aliis locis excusationem praebeant.

§. 3.

Sed perfecta et orationis et compositionis arte monemur, ut ne in forma quidem quidquam ad perfectionis laudem deesse ac iure desiderari concedamus. Quae laus, si illarum de quibus quaestio est syllabarum ratio non habetur, versuum constructionem minime deficit, immo maxima in eis ars oculis nostris subiicitur. Quare a vero haud absonum erit accipere illa in prosodiam peccata librariis deberi. Etenim post praeclara illa Fr. Aug. Wolfii prolegomena nemo nisi qui in summa harum rerum versatur ignoratione nescit, quam formam nunc carmina Homerica habeant, eam ab Alexandrinis criticis constitutam esse, neque artem criticam ultra Aristarchi recensionem regredi posse. Sed ne ex prima quidem illa sive Pisistrati sive Hipparchi recensione, si liceret, eam carminum formam haurire valeremus, quam a divo vate acceperunt. Nam quamquam Nitzschio, Welckero, aliis concedere debemus, artem scribendi iam longe ante Pisistrati tempus in usu fuisse, tamen Wolfius satis multa testimonia attulisse mihi videtur, a rhapsodis potissimum carmina Homerica esse servata. Itaque intelligitur haec carmina, antequam litteris mandata sint, multas subiisse mutationes, quum quidem lingua ipsa illis saeculis Homeri aetatem a Pisistrati tempore disiungentibus omnino sit mutata. Nam quod in omnibus fere linguis observatur, quum principio severiore et graviore vocum sono utantur, cultura et commercio augescente maiorem in eis invalescere volubilitatem levitatemque, id, ut in nostra et praecipue in Latina lingua perspicitur, ita etiam apud Graecos latissime patuisse existimandum est. Jam qua nunc forma sunt carmina Homerica lectitantem effugere nequit, magnam inter hanc et posterioris aetatis linguam intercedere differentiam. Quam linguae mutationem plurimum in prosodiam valuisse credi debet. Nam quum et multae vocales natura longae sensim corriperentur et multae consonae, quae rudiorem quendam sonum viderentur edere, abiicerentur, factum est ut syllabae, quae Homeri aetate aut vocalis natura aut dua-

rum consonarum positione productae essent, postea productionis causa carerent. Eandem ob causam Plautus ceterique veteres poetae Latini saepissime in prosodiam peccare olim videbantur; sed nunc postquam remedia ad veteris linguae Latinae indolem cognoscendam parata sunt, prosodiam illorum tam stabilitam esse ac sibi constare patet, quam linguam fluctuare atque ancipitem esse conspicitur. Itaque si quis de Homeri prosodia vult agere, maximam curam adhibere debet, ut formas vocum, quales aetate Homeri viguerint, restituat. Neque vero cogitatione hae formae constitui possunt, ut studia Lennepii aliorumque virorum doctorum, quippe qui in origine vocum notanda fine exciderint, ostendunt, sed fontes quaerendi sunt, unde veram et primigeniam vocum speciem depromere possimus.

§. 4.

Atque primum quidem optimus fons formarum antiquarum sunt dialecti. Nam saepe fit, ut aliae dialecti ex lingua primigenia formas retineant, quae ex dialectis aliarum stirpium minus in retinendis formis antiquis tenacium prorsus evanuerunt. Ut exemplo utar, dialectus Aeolica retinuit *βϱ* aliasque litteras in fronte vocum positas, qui litterarum usus iam ex Jonica dialecto exulat Atque in nostra quaestione propterea magna dialectorum ratio habenda est, quod constat dialectos Homeri aetate non ita multum inter se discrepuisse (cf. Hermann. Graec. ling. dial. p. V). Verum ad dialectos cognoscendas remedia deficiebant, donec nostris temporibus Ahrensius insigni sagacitate maximoque labore doctrinam de dialectis perfecit.

2. Alter fons, ex quo illam qua Homerus usus est vocum formam haurire possumus, sunt grammatici. Sed hi quum carmina Homerica Jonica dialecto composita esse arbitrarentur, omnes formas ab Jonicae dialecti usu remotas ex Aeolica aut Dorica aut alia dialecto, cuius formis formae Homericae erant simillimae, petitas esse professi sunt. Quamquam in medio positum est Homerum talem variarum formarum farraginem componentem non ma-

gis in vituperationem venturum fuisse, quam si quis nostra aetate formas e dialecto Saxonum aut Guestphalorum petitas carmini Thiudisco inserere vellet. Itaque probandum mihi videtur, eas vocum formas, quae a grammaticis afferuntur, pristinae linguae adiudicare (cf. Heyne VII. p. 712 seqq.). Magni igitur momenti in quaestione de formis Homericis habenda sunt Eustathii commentarii, scholia Veneta, Hesychii lexicon et Etymologicum magnum.

3. Tum grammatica cognatarum linguarum comparativa ad speciem formarum Homericarum constituendam magnum praebet adminiculum. Vix hanc Boppius fundaverat, quum Benfeius eam in enucleandis Graecis radicibus adhibuit et praecepta nova et subtiliter excogitata adiecit. Praesertim postquam Grimmius conspicuo grammaticae Thiudiscae exemplo docuit, quomodo comparatione dialectorum secundum singularum aetates vel stirpes ad antiquissimam linguae indolem possit perveniri, amplissimi ex hac linguarum ratione comparativa ad formas veteres constituendas fructus possunt percipi. Etenim omnes linguae, quas indogermanicas viri docti vocant, ex una lingua primitiva natae sunt et sensim illam quam nunc habent formam induerunt; quo factum est ut aliae linguae primigeniam vocum formam retinerent, aliae ad obscuritatem mutarent. Quare singulae linguae conferri possunt singulis primigenii textus scriptoris exemplis, quae laborant illa quidem propriis vitiis, verum propriis virtutibus multum ad primigenium textum constituendum valent. Itaque si quis de antiquissima vocum specie disserere vult, omnium linguarum cognatarum rationem habeat necesse est. Nam si quis in hac quaestione unam tantum linguam respicere velit, aeque stulte agat, ac si quis in textu scriptoris emendando unum tantum codicem conferre studeat. Et profecto multae quaestiones hac linguarum comparandarum ratione ad liquidum perduci possunt. Nam quum antea viri docti in contrarias sententias distraherentur et certe scire nequirent, utrum voces Graecae antiquissimo tempore simplicibus et brevibus, an longis et plenis formis usae es-

sent, grammatica linguarum cognatarum comparativa certis docet argumentis, in omnibus linguis vocum radices non crescere, immo debilitari et decurtari. Nam ut exemplo utar, si in lingua Sanscritica radicem „vas", in Latina „ves" (ves-tis), in Gothica „vas" (vas-jan) cum notione vestiendi invenimus, dubitari nequit, quin Graeca radix „ἑσ-" (ἕννυμι ex ἕσ-νυμι) ex forma „Ϝεσ-" debilitata sit. Itaque si radices Graecas ab una consona vel a vocali incipere videmus, quum eaedem stirpes in aliis linguis a binis consonis exordiantur, dicendum est, Graecas formas ex aliis duabus consonis instructis, quae in ceteris linguis conservatae sint, prodiisse.

Sed forsitan quis dixerit, se nescire praeter linguas classicas quae dicuntur et patriam aliam linguam. Neque vero opus est omnium harum linguarum cognitio; nam si quis non dubitat quin voces Sanscriticae, Slavicae, Gothicae vere illa forma utantur, quam viri illarum linguarum periti iis attribuunt, is facile iudicare potest, num recte in Graecas vel Latinas voces concludatur. Verum hac in re nihil obstat quominus viris doctis fidem habeamus. Nam in aliis quoque disciplinis ea quae afferunt accipere debemus, ut codicis collatori, lectiones bene notatas esse, topographo, terrarum situm bene describi.

§. 5.

1. Ex illis vero fontibus demonstrari potest, Graecos antiquis temporibus semivocales sonos j et *v* edidisse, quos nobis moris est ut non solum pronuntiatione, sed etiam scriptura ab i et u vocalibus distinguamus. Atque primum quidem i semivocalem in initio vocum saepe consonae vice functam esse, iam ex eo intelligi potest, quod in aliis quoque linguis eo loco consonae vim in se recipit. Verum sensim Graeci eam in spiritum asperum mutaverunt [1]), quo factum est ut postea nullum Graecae linguae

1) Multa huius mutationis exempla affert Ahrens. de dial. §. 64, Curtius graec. etym. fundamenta n. 606—609.

vocabulum ab illa consonante inciperet. Atque adverbium ὥς, cuius asperum ex primitivo j natum esse docet forma eius Sanscritica yâ-t [1]), primitivam litteram initialem in formulis epicis ex ultima antiquitate conservatis usque ad Homeri aetatem retinuisse videtur, quum syllaba brevis antecedens et in simplicem consonam desinens saepe producatur, ut in formula epica ϑεὸς ὥς. Tum in mediis quoque vocibus i semivocalis consonantis vim suscepit, ut in Αἰγύπτιοι Od. 4, 83, Il. 9, 382, quod tribus syllabis pronuntiandum est [2]). Latissime autem primitivum j semivocalis usum in prisca lingua patuisse, uberius exposuit G. Curtius in libro, qui inscribitur „Die Bildung der Tempora und Modi im Griechischen nnd Lateinischen" p. 89 sqq. et Foerstemannus: De comparativis et superl. ling. Graec. et Lat. p. 34 sqq.

2. Altera semivocalis Vau non aeque se abdidit, sed diutissime in dialecto Aeolica conservata est. Atque eius usum omnibus stirpibus Graecis communem fuisse ostendunt inscriptiones cuiusvis dialecti, quum signum eius *F* exhibeant [3]), et confirmant disertissima testimonia grammaticorum [4]). Verum quod grammatici ei nomen litterae Aeolicae indunt, nos non morabitur, quum postea in Aeolica tantum dialecto conspiceretur ob eamque causam Aeolibus solis propria esse videretur. Quae littera quum consonantis vim haberet [5]), latissime eius potestatem in

1) Cf. Curtius. gr. etym. n. 606. In circumscriptione litterarum Sanscriticarum eam rationem adhibui, quam Boppius in gramm. comp. proposuit.

2) Cf. πηλιάδα Sotadis apud Hephaestionem p. 8 et Hermann. opusc. III. p. 69 sqq., qui talem ι litterae potestatem agnoscit, ut media sit inter vocalem et consonantem.

3) Vide inscriptiones Boeoticas in Boeckhii c. J. I. p. 717 seqq., Eliacam I. p. 28; Doricas II. p. 397 seqq. et Jonicam n. 10.

4) Cf. Dionys. Halic. in Archaeol. Rom. I. 20 (ut locum exhibet Ritschelius in Spec. Dion. Halic. ex optimis codicibus emendati, Bonnae 1856), Trypho πάϑη λέξεων 9. 11 (Mus. crit. cant. t. I. p. 34).

5) Consonam digammi vim agnoscit Marius Victorinus I. p. 2461 (ed. Putschius).

versibus patuisse licet statuere. Nam primum concursus vocalium in illis syllabis, quarum posterior digamma in fronte habuit, nasci non potuit [1]), tum ob digamma saepe syllaba antecedens consonante finita per positionem producta est [2]). Quam ob rem ex hiatu admisso et illicita productione recte concluditur, in Homerico sermone fuisse voces, quibus spiritus ille consonae vicem in se recipiens inhaeserit. Sed illa littera quum Alexandrinis criticis esset ignota, e textu carminum Homericorum evanuit, donec nostris demum temporibus insigni Bentleii sagacitate in illis investigata est. Verum quum Bentleius et qui eum secuti sunt, Dawesius, Knightius omnibus remediis destituti doctrinam de digammo recte adhibere nequirent, fieri non potuit quin digamma Homericum et multos fautores nancisceretur (velut Heynium in Exc. ad Il. τ 384 vol. VII. p. 708—772, Hermannum in Orph. p. 688, 774, ad hymn. Hom. in Ven. 86, Buttmannum in Gramm. Graec. §. 6 annot. 3, Thierschium in gramm. Hom. dial. §. 129) et multos impugnatores inveniret (ut F. A. Wolfium in censura Hom. Iliad. ab Heynio edit. et in Prol. nov. ed. p. LXIV, Ilgenium in praefat ad hymn. Hom. p. 17). Sed lis illa nunc, postquam Boeckhius inscriptionibus Graecis in unum corpus redactis et Ahrensius libris de dialecto Aeolica et Dorica scriptis et Boppius grammatica comparativa ampliora subsidia paraverunt, ita composita est, ut Bentleius ceterique qui digamma amplexi sunt viri docti ius suum meritumque retineant. Itaque recte litteram tam diu omissam in pristinam sedem reduxit I. Bekkerus in editione sua carminum Homericorum.

3. Tum sigma consonans in lingua Graeca multas mutationes perpessa est. Sed omnino est animadvertendum, sonum sigmatis duplicis esse generis, aut acutum aut mollem. Acutus eius sonus in omnibus Graecae linguae dialectis integer mansit, nisi

---

1) Cf. Priscianum I. p. 20 (ed. Keil).
2) Cf. Priscianum I. p. 22.

quod apud Lacones pinguiorem sonum induit (cf. Boeckh. ad C. J. p. 25), at mollis valde mutatus est. Sic in multis vocibus inter duas vocales ad elisionem evanuit, ut in formis genitivis μένεος, γένεος [1] aliisque. Sed id quod ad nostrum propositum maximi est momenti, saepe in initio vocum σ littera ita vim primigeniam amisit, ut in spiritum asperum mutata sit. Qui usus apud Aeoles ita late patuit, ut nullum spiritum asperum in vocum fronte retinerent, nisi qui ex pristino sigmate ortus erat. Huius generis exempla Ahrensius (I. 7. 4) et Grimmius (hist. ling. Thiud. p. 299—301) multa attulerunt, quorum pauca afferre placet:

ʽΕΠ (ἕπω) — Sct. sac' — Lat. sequ-i.

Cf. Grimm. l. l. Pristinum σ in aoristi forma ἕσπον, quae vocali radicis syncope eiecta ex ἕσεπον nata est, mansit.

ʽΕΧ (ἔχω [2]) — Sct. sah.

Cf. Pott Etymol. Forsch. I. 283, Giese dial. Aeol. 245, Aufrecht ephem. I. 355. Sigma conservatum est in forma aoristi ἔσχον et futuri σχήσω, quae ex altera radicis forma metathesi consonarum facta ΣΧΕ deducitur. Vis primitivi σ in compositis Homericis σύνεχές et ὑπείροχος (Il. ρ 208, λ 335, 673) apparet, quippe quae longa antepaenultima utantur.

ʽΕΔ (εἷσα) — Sct. sad (sedere) — Lat. sēd-eo — Goth. sit-an.

Cf. Pott 1, 248, Grimm l. l. 422. Sigma conservatum est in substantivo σέδας (καθέδρας Hesych.).

ὕλη — Lat. silva (pro sylva cf. Vossius Etym. s. v. sylva).

---

1) Vestigium eius apparet in dativo plur. epico τείχεσσιν et in compositis τελέσφορος, σακέσπαλος, cf. Bopp. gr. comp. §. 128.

2) De hac radice falso iudicat Savelsberg quaest. lex. de radicibus Graecis. Berol. 1841. Graecam radicem non cohaerere cum Sct. vah ostendit Curtius l. l. n.

Pristinum σ mansit in nomine proprio Σκαπτησύλη, quod habet Marcellinus vit. Thucyd. et Herodotus VI. 46, quum Stephanus Byzant. formam Σκαπτὴ ὕλη afferat. Latina eius nominis forma Scaptensula „ex ultima antiquitate" mansit (cf. Lachmann. ad Lucr. VI. 810).

ὅδος — Sct. sad (ire) — cf. Curtius Et. Gr. n. 281.
ἕπτα — Sct. saptan — Lat. septem — Goth. sibun.
ἡμι — Sct. sâmi — Lat. semi.

In voce σῦς sigmatis in spiritum asperum mutatio Homeri tempore facta esse videtur, quum praeter formam σῦς saepissime alia ὗς inveniatur. Sed fieri potuit, ut antiquis temporibus multae voces a σF inciperent. Hanc vero litterarum coniunctionem quum posterioris aetatis lingua plane respueret, altera abiici solita est, quo factum est ut digammate e communi linguae usu remoto et sigmate in spiritum asperum mutato voces a vocali inciperent. Exempla utriusque consonae abiectae sunt haec:

ἡδύς — Sct. svâdus — Lat. sua-vis (ex suad-vis) — Goth. sut-is ex svet-is.
ἸΔ (ἰδίω) — Sct. svid-yâmi — Lat. sud-o. — Island. vet. sveiti.
ὕπνος — Sct. svapnas — Lat. som-nus (ex svapnus cf. sop-or) — Thiud. med. aetatis sveb-en.
ὑῤῥάδιος — Lat. spurius [1]).
ἔθος, ἦθος — Sct. svad'â — Lat. con-suet-udo — Goth. sid-us — Thiud. ant. aetatis sit-u.

Jam Kuhnius (Zeitschrift für vergl. Sprachf. II. p. 134) haec substantiva inter se comparans rectissime primigeniae radicis Graecae formae duas consonas σF adiudicat. Atque ex perfecti forma εἴωθα, cuius diphthongum simplicis augmenti loco positam viri docti nondum satis explicaverunt, concludere licet

1) De hoc adiectivo disputavit Ahrens. Mus. Rhen. 1838.

primigeniam radicis formam duas in fronte consonas habuisse, quibus eiectis, ne syllabae quantitas mutaretur, diphthongus adhibita sit. Digamma in fronte latere ostendit forma εὔωθεν a Choerobosco (ox. II. 210, 27) allata.

ἉΔ (ἁνδάνω, ἕαδ-α) — Sct. svad — Lat. suad-eo.

Vestigium duplicis consonantis mansit in forma Homerica εὔαδε (Il. ξ 340). Nam quum ob minimam digammatis in lingua vim credi nequeat illam formam ex ἔFFαδε natam esse, quod Buttmannus docet, probandum videtur potius, ut Hesiodeum illud καυάξαις Opp. 666, 693 assimilatione ex κατFάξαις prodiit, ita εὔαδε ex ἔσFαδε natum esse.

Tum ante consonas sigma initiale saepe abiectum est. Cuius rei insigne praebet exemplum forma verbi σκίδνημι, quippe quod in carminibus Homericis sigmate aut utatur, aut careat. Atque ante μ liquidam vel posteriore aetate in multis vocibus sigma initiale aut abiici aut retineri potuit, ut formae σμύξος, σμύραινα, σμυρίζω, σμοῖος, σμῖλαξ, σμάω cum formis μύξος, μύραινα, μυρίζω, μοῖος, μῖλαξ, μάω alternarent. Tum ante ν liquidam saepe sigma positum fuisse, quum haec litterarum coniunctio a communi posterioris aetatis usu esset remota, non est cur accipere dubitemus, quoniam in aliis eiusdem originis linguis ambae consonae in initio positae inveniuntur. Notissima est abiectio sigmatis in fronte adiectivi σμικρός positi, atque haud scio an critici Alexandrini Il. ρ 757 κίρκον, ὅτε μικρῇσι scripturi fuissent, nisi forma σμικρός tam diu in dialecto Attica conservata esset. Cui σ litterae abiectioni Latinam quoque linguam favisse ex formis „cosmittere, smirari" a Festo servatis elucet [1]).

---

1) Postero quoque tempore sigma initiale in vulgari sermone Latino saepe abiectum esse videtur, quum Horatius in satiris multas voces a sc et st incipientes in versu ita adhibeat, ac si earum frons una tantum consona instructa esset, cf. fornice stantem I. 2, 30, velatumque stola I. 2, 30, saepe stilum I. 10, 72, quia scilicet II. 2, 36.

4. Denique quod in omnibus fere linguis observari solet, antiquissimis temporibus multis vocibus gutturalem praefixam fuisse, hoc in graeca lingua latissime patuisse existimandum est. Exemplum praebet verbum *δουπέω*, cuius primigeniam formam *γδουπέω* Homeri temporibus in usu fuisse ostendit forma *ἐγδούπησαν* Il. *κ*. 45 et *ἐρίγδουπος*, quae, si syllaba antepaenultima non producitur, *ἐρίδουπος* sonat. Atque ex duplici forma vocum *χλίασμα* et *λίασμα*, *χλίαρος* et *λίαρος*, *χλάρος* et *λάρος* concludere licet, linguam Graecam usque in postera tempora huic gutturalium abiectioni favisse [1].

Constat igitur multas voces antiquissimis temporibus sub vocum initio consonis instructas fuisse. Sed sensim altera consona aut euphoniae causa aut propter maximam eius in lingua imbecillitatem cum altera in rudiorem quendam sonum coaluit, qui minorem quidem in pronuntiando vim quam duae consonae, haberet, verum ad brevem syllabam antecedentem producendam valeret. Qua in re similitudo linguae Hispanicae occurrit, quippe quae litteras duplices in fronte vocum positas, quae ex duarum consonarum assimilatione prodierunt, maiore vi quam simplices neque tamen ut duplices pronuntiet. Ille autem sonus quum non posset nisi magno ore pronuntiari, in posteriore lingua molliorem sonum induit sensimque ita debilitatus est, ut postea altera tantum consonans, quae praevalebat, in vocum fronte remaneret. Verum quum augmentum aut aliud praefixum voci anteponeretur, diutissime utraque consonans conservata est. Itaque non mirum videtur, quod saepe in Homerico sermone post augmentum duplex liquida deprehenditur, quum praesentis forma eiusdem vocis una tantum littera instructa sit [2].

---

1) Simili modo Latinam quoque linguam gutturalem abiecisse demonstrat Corssen de vocal. ling. Lat. I. p. 42.

2) Ob eandem causam in compositis latinis „cognosco, cognatus" primitiva gutturalis mansit.

§. 6.

Iam vero supra diximus non ante omnes voces, sed ante certum radicum numerum in Homero breves syllabas finales produci. Quare quaestio movetur num forte illae radices antiquis temporibus a binis consonis inceperint. Hanc autem radicum formam si re vera in antiquae linguae usu fuisse videmus, ex ipsa brevium syllabarum productione sequitur, eam usque ad Homeri aetatem mansisse. Verum quum observare liceat ante multas radices, quarum frontem olim duabus consonis instructam fuisse certa ratio efficit, in carminibus Homericis breves syllabas tum produci tum correptas manere, statuendum videtur alteram consonam Homeri aetate iam in eo fuisse, ut evanesceret. Quare non debet mirum videri quod illae radices, qualis nunc textus est, a simplici consona ordiuntur, quum non dubium sit quin altera litterarum initialium iam Pisistrati tempore e lingua exulaverit. Itaque singulas illas radices olim a binis consonis incepisse demonstrandum erit. Qua in re ita agamus, ut primum de vocibus, quae a singulis consonis tum mutis tum liquidis inchoant, disputemus, deinde de eis agamus, quae vocalem in fronte habent.

Sed antequam ad propositum aggrediamur, monendum est multas syllabas in verbi clausula positas, quamquam in brevem terminantur vocalem, ei productionis generi, de quo disputare in animo est, non adnumerandas esse. Nam primum quidem illae syllabae, in quibus productio brevis syllabae adiecto *ν* finali potest excusari, hac littera accepta iure longam mensuram explent. Etenim quae Brunckius, Ernestius statuerunt, suavius ad aures Graecorum accidisse, si sola caesurae ope syllabae productae essent, ut Od. β 166 *πάντεσσι· πόλεσί τε καὶ ἄλλοισι κακὸν ἔσται*, haec certe nemini placere possunt. Sed Hermannus in eo libro quem de emendanda ratione Graecae grammaticae conscripsit (§. 5), hac littera posita metro

succurrendum esse graves rationes attulit, quibus Wolfius (prol. nov. Hom. ed. p. 63) et Jacobsius (in praef. Anthol. ed. nov. p. XXX) concinunt. Neque tamen accipienda est Hermanni sententia, eam litteram multis locis, ubi vis eius non desideratur, restituendam esse, ut scribendum sit Il. β 671: Νηρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν ἄγεν τρεῖς νῆας ἐΐσας. Nam non solum codicum auctoritas obstat, sed etiam Aristarchi expressa sententia, cuius auctoritate scholia Veneta ad hunc locum illam sententiam improbant. Tum ante illas radices, quarum frons multis locis vim breves syllabas producendi habet, syllabis ν finale non addendum est, quum verisimile sit, his locis eodem iure ac ceteris syllabae brevi longam mensuram addi. Itaque, ut exemplo utar, Il. ν 178 ἔπεσε μελίη, Od. ε 291 ξύναγε νεφέλην scribendum videtur.

Tum illae syllabae ad nostram dissertationem pertinere non videntur, quae post particulam ἕως producuntur, ut Il. α 193, κ 507 ἕως ὁ ταῦτ' aliisque. Recte enim Eustathius (p. 80, 1), cuius in sententia acquiescit Hermannus (de metr. p. 87), iudicat, illam particulam in Homero trochaeum efficere. Atque facile ex vetere scriptura ΕΟΣ utraque forma et ἕως et ἧος (vel εἷος) prodire potuit. Verum formam ἧος eo magis dialecto Homericae adiudicamus, quod Curtius adverbium Sanscriticum yâ-vat (quamdiu) et Doricam formam ἇς (ex ἇϝος) cum ἧος forma comparans ostendit, eam antiquiorem esse (cf. Mus. Rhen. 1845 f. 2 et Bergk Philol. XI 382). Certe simplicior est haec ratio, quam multorum pericula emendandi, quae congessit Heynius (IV p, 68, 69). Itaque forma, quae trochaeum efficit, a Bekkero et Dindorfio (ed. IV) omnibus huius generis locis restituta est.

Denique de syllabis in ι dativi tertiae desinentibus non disputandum est, quum hoc suffixum Homeri aetate ancipite mensura usum esse videatur. Nam et in thesi saepe hiatum admittit (Il. α 578, β 6, γ 244, δ 134, ε 50, ζ 112, η 11, θ 514 aliisque) et in arsi frequenter ante voces, ante quas nunquam

aliae syllabae breves producuntur, longam mensuram explet. Sed ut hanc ancipitem suffixi mensuram statuamus, eo magis movemur, quod dativi Latini suffixum, cui eandem originem vindicare non dubito, semper longam syllabam efficit. Atquequum in omnibus linguis observari possit, syllabas finales sensim corripi, probandum videtur primigeniam ι dativi mensuram ita debilitatam esse, ut Homeri tempore anceps esset. Itaque plerumque in formulis epicis et quae integrae ex ultima antiquitate manserint primitiva illius suffixi mensura conservata est.

§. 7.

Producuntur vero primum breves syllabae ante voces a liquidis excipientes. Atque multi iam observaverunt, apud Homerum omnia verba a ϱ liquida ordientia prorsus eandem vim habere ac si a binis consonis inchoarent, quod secus se habere multi loci Homerici ostendunt. Sed iam Dawesius misc. crit. ante saeculum fere ostendit voces a ϱ ordientes, quae illam vim habeant, olim duabus in fronte consonis instructas fuisse neque hac litterarum coniunctione quidquam magis in antiquae linguae usu fuisse. Quae Dawesii doctrina diu spreta et derisa nunc accepta et dialectis grammaticaque comparativa confirmata est. Sunt autem radices hae:

1. *FPAΓ*.

a) ῥήγνυμι et quae inde derivantur:

Il. μ 198 *τεῖχός τε ῥήξειν*, μ 308 *διά τε ῥήξασθαι* ο 617 *δύνατο ῥῆξαι*, υ 55 *ἐρίδα ῥήγνυντο*, χ 673 *χρόα τε ῥήξω*, Il. γ 348, η 259, μ 291, ν 124, ο 490, Od. μ 409 *ἔῤῥηξεν*.

ἀποῤῥήξας Il. ξ 504, ο 264, Od. ι 481.

ἀναῤῥήξας Il. η 461, σ 582, ι 63, Od. ϑ 275.

συνέῤῥηκται Od. ϑ 137.

ἄῤῥηκτος Il. β 490, ν 37, ξ 68, ο 20, Od. ϑ 275.

ῥηκτός Il. ν 323, χαλκῷ τε ῥηκτός.
ῥηξηνώρ Il. π 146, ψ 675 Ἀχιλλῆα ῥηξήνορα.

b) ῥαίω. Od. ξ 326 ἔῤῥαιε, Il. π 339 ἐῤῥαίσθη. Forma ῥαίω ex forma ῥήγ-νυμι nata est, ut αἱρέω ex ἀγρέω (cf. Buttmann. lex. I. 131).

c) ῥήσσω. Il. σ 571 τοὶ δὲ ῥήσσοντο et ω 456 ἐπιῤῥήσσεσκε. Derivatum est verbum a radice *FPAΓ* ut πράσσω a *ΠPAΓ*.

d) ῥηγμίς. Il. α 437, ϑ 50 ἐπὶ ῥηγμῖνι, β 773, Od, δ 430, 449, 575, κ 186, μ 6, ο 499, παρὰ ῥηγμῖνι. Il. υ 229 Od. δ 213 ἐπὶ ῥηγμῖνα. Substantivum a radice *FPAΓ* derivatum esse sequitur ex Homerico: Κῦμα θαλάσσης ῥήγνυντο et Eustathius docet adnotans: ὁ αἰγιαλὸς παρὰ τὸ ἐν αὐτῷ ῥήγνυσθαι τὰ κύματα.

e) ῥώξ. Od. χ 143 ἀνὰ ῥῶγας, ι 359, ν 98 ἀπόῤῥωξ.

f) ῥῆγος. Il. ι 661, Od. ι 22 κώεά τε ῥῆγός τε.

g) ῥάκος. Od. ρ 178 δὺς δὲ ῥάκος, ξ 512 τὰ σὰ ῥάκεα, τ 507 κατὰ ῥακέεσσιν.

h) ῥωγάλεος. Od. ν 438, ρ 198, σ 109 πυκνὰ ῥωγαλέην.

Digamma in fronte huius radicis positum fuisse videtur ex dialecto Aeolica. Legitur enim Anecdot. Oxon. III. p. 237 ἐυράγην (i. e. ἐFράγη) pro ἐῤῥάγη, ἄυρηκτος (i. e. ἄFρηκτος) pro ἄῤῥηκτος. Easdem formas afferunt Eustathius 548, 30. 1065, 65 et Scholl. Dion. Thrac. 694, 18. Deinde Tryphon πάθ. λέξ. §. 11 expresse docet Alcaeum semel formam Fρῆξις usurpasse. Tum forma βράκος, quam Eustathius 1654, 23 exhibet exemplum pleonasmi β litterae veram originem ignorans, legitur Sapph. fragm. 79, Theocrit. 28, 11 [1]). Denique digammatis ante hanc radicem positio confirmatur grammatica linguarum cognatarum

1) Ahrensius de dial. Aeol. p. 37 omnia grammaticorum exempla scite composuit.

comparativa. Latina enim vox exstat „fra(n)go“, Gothica „brikan“, nostra „brechen“. In Sanscritica huius radicis forma r primitivum eiectum est, quod saepe fit post labiales, ut forma sit „b'ag'.“

2. *FPE.*

a) ἄῤῥητος Od. ξ 466, παράῤῥητος Il. ι 526.
b) ῥητός Il. ρ 445 μισθῷ ἐπὶ ῥητῷ.
c) ῥητήρ Il. ι 443 μυθῶν τε ῥητῆρα.
d) fortasse Ῥῆσος. Il. λ 435 ἐν δὲ σφι Ῥῆσος.

Radicis digamma vocabulo de hac stirpe derivato appictum est in foedere Eleorum et Euaensium notabili (c. inscript. I. p. 28) *Fϱάτϱα*. Tum Priscianus I. p. 23 affert formam βϱητώϱ (pro *Fϱητώϱ*). Radicis forma *FPE* metathesi consonarum ex primigenia *FEP* nata est. De altera *FEP* futurum ἐϱῶ formatur, quod semper in Homero indicia digammatis praebet[1]), de altera perfectum εἴϱηκα (pro ἔFϱηκα) deducitur. Conferenda est radix Graeca cum Latino „ver-bum“, Gothico „vaur-d.“ Num sanscritica radix „brû, bravîmi“ huc referenda sit incertum est (cf. Curtius Et. n. 493 et Bopp. gr. comp. §. 19).

3. *FPEΓ.*

a) ῥέζω. Il. δ 32 τόσσα κακὰ ῥέξουσι, σ 455 πολλὰ κακὰ ῥέξαντα, χ 305 μέγα ῥέξω, ψ 206 ὅθι ῥέξουσι, ω 370 οὐδέν σε ῥέξω, Od. δ 690 οὔτε τινὰ ῥέξας, ε 102 ἱερά τε ῥέξουσι, ϑ 148 ποσσίν τε ῥέξῃ, ξ 251 ϑεοῖσίν τε ῥέξειν, σ 15 οὔτε τί σε ῥέξω, χ 209 ὅς σ' ἀγαϑὰ ῥέζεσκον, Il. ι 536, χ 380 ἔῤῥεξε, ρ 211 ἐπιῤῥέζεσκον.

Ad Il. τ 90 scholia expresse dicunt Aristarchum scripsisse ἀλλά τί κε ῥέξαιμι, qui quum semper ante singulas consonas

---

1) Cf. Hesychii glossa ἐνείϱω, εἴπω, coniunctivus pro Fείϱω cum ε prosthetico.

litteram paragogicam ponere soleret, eam ut omitteret codicum auctoritate commotus esse videtur.

Syllaba antecedens corripitur Il. α 146, Od. γ 5 ἱερὰ ῥέξας, Il. υ 146 ἔολπα τὸ ῥέξειν, ψ 214 αἴσυλα ῥέξεις, φ 217 μέρμερα ῥέξε, χ 259 ὥς δὲ σὺ ῥέζειν, Od. β 73 κακὰ ῥέζετε, Od. β 73 ἔρεξεν.

Radicis digamma conspicitur in forma Aeolica *Fέργον* (Alc. fr. 7) et Laconica γα-βεργ-ος (cf. Ahrens de dial. I. p. 32, 226, II. 46, Curtius Et. n. 141, Temp. et Mod. 141). Forma ῥέζω ex ῥεγ-ιω nata est (cf. μείζων ex μεγ-ιων). Radix *FPEΓ* conferenda est cum Sanscritica „vrag'-âmi" (facere), Gothica „vaurk-jan" (ἐργαζέσθαι), Thiudisca ant. aetatis „werah, werk."

4. *FPAΘ.*

a) ῥόθιος. Od. ε 412 βέβρυχε ῥόθιον, ἐπίῤῥοθος Il. δ 390, ψ 770, Od. δ 390.

b) ῥοῖζος. Il, π 361 ὀϊστῶν τε ῥοῖζον.

c) ῥοχθέω. Od. μ 60 κῦμα μέγα ῥοχθεῖ.

Has voces eiusdem stirpis esse ac ῥάθαγος communi et strepitus notione et radicis forma confirmatur. In fronte autem huius substantivi digamma delitescit, quod sequitur ex Hesychii glossa ἐβρατάγησεν, ἐψόφησεν, cf. Ἀῤῥαθάγησεν, ἐψόφησεν. Verum quum Benféyus vocis digamma ignoraret, fieri non potuit quin falsam eius originem constitueret II. p. 135.

5. *FPEΠ.*

a) ῥέπω. Il. ξ 233 ἐπιῤῥέπῃ.

b) ῥόπαλον. Il. λ 559 περὶ ῥόπαλα, Od. ι 319 μέγα ῥόπαλον.

c) ῥωπήιον. Il. ψ 122 διὰ ῥωπήια, ν 199 ἀνὰ ῥωπήια φ 599 κατὰ ῥωπήια.

d) ῥάβδος. Il. ω 343, Od. ε 47 εἵλετο δὲ ῥάβδον et semper χρυσόῤῥαπις.

Haec vocabula a ῥέπω proficisci docet scholiasta ad Od. κ 166, π 47, ubi cognatum substantivum ῥώψ ab eadem stirpe derivat: ὅτι ῥέπει ὅπου θέλει τις. Digamma radici olim antepositum e cognato καλαῦροψ (Il. ψ 845) colligi potest. Recte enim Döderlein. Gloss. 2104 coniicit vocem constare ex radice κάλ-ος (fustis), ex copula α, quae in βιβλι-ά-γραφος conspicitur, et radice Ϝρέπ-ω, ut καλαῦροψ sit „baculus laqueo ornatus," quam explicationem Curtius (Et. n. 413) accipit [1]. Sed hoc in substantivo ὐ pro digamma positum esse, eo magis cognoscitur, quod Hesychius aliam scripturam καλάβροψ affert. Conferri potest radix cum Lithuanico „virp-u" (tremere). (De verbo ῥέπω vide quae suspicatur Benfey II, p. 310, 8.).

1. ϜΡΙΠ.

a) ῥίπτω, Post augmentum et praepositionem semper geminatur littera initialis, ut Il. ι 516, π 282 aliisque.

b) ῥιπή. Il. μ 462 λᾶος ὑπὸ ῥιπῆς, ο 171 ψυχρὴ ὑπὸ ῥιπῆς, τ 358 ψυχραὶ ὑπὸ ῥιπῆς, φ 14 ὑπὸ ῥιπῆς.

Digamma, quod iam Dawesius huius radicis fronti attribuit, cognoscitur ex Gothico „vairp-an," et nostro „werfen."

7. ϜΡΙΔ.

a) ῥίζα. Il. ι 542 αὐτῇσι ῥίζῃσι, λ 846 ἐπὶ δὲ ῥίζαν, ι 156 πρόῤῥιζον.

b) ῥιζόω. Od. η 122 ἐῤῥίζωται, ν 165 ἐῤῥίζωσε.

Spiritum Aeolicum in fronte harum vocum latere ostendit forma Aeolica βρίσδα, quam Apollonius 567, 20, Eustathius 222,

---

1) Quod docere videtur scholiasta ad ψ 845 (ῥάβδος καλὴν ῥοπὴν ἔχουσα), primam partem substantivi ex καλός adiectivo constare, statui nequit, quum adiect. καλός (pulcher) trochaeum efficiat.

Etym. magn. 214, 31 afferunt et Ahrensius I. 34 sqq. recte ex forma antiqua *Fϱιδ-ια* deducit. Conferenda est radix Sanscrit. vrd' (crescere Benfey. II. 78), substant. Goth. „vaurt-s" (radix), Thiudisc. ant. aetat. „wurz-a, wurz-ala" (cf. Ahrens I. p. 35).

8. *ϱαίνω*. Il. *μ* 131 *ἐϱϱάδατο*, Od. *ν* 354 *ἐϱϱάδαται*. Hoc verbum olim a duabus consonis incepisse ostendit forma *βϱᾶναι*, *ϱᾶναι*, quae inest in excerpt. e cod. Vat. post Gregorium ed. Schaefer. p. 689.

9. *FPY*.

a) *ϱύομαι*. Il. *ω* 430 *αὐτόν τε ϱῦσαι*, Od. *ζ* 107 *φυλάσσω τε ϱύομαι*, *ο* 35 *φυλάσσω τε ϱύεται*. Syllaba brevis manet Il. *ι* 396, *ϱ* 644, *ν* 195, *ἐϱϱύσατο* Il. *ο* 290, *υ* 194, Od. *α* 6.

b) *ϱυστάζω*. Il. *ω* 755 *πόλλα ϱυστάζεσκεν*.

c) *ϱυτήϱ*. Il. *π* 475 *ἐν δὲ ϱυτῆϱσιν*, Od. *σ* 262 *ἠδὲ ϱυτῆϱας*, Od. *φ* 173 *οἷον τε ϱυτῆϱα*.

d) *ϱύση*. Il. *ι* 503 *χωλαί τε ϱῦσαι*.

Digamma primitivum cognoscitur ex formis *βϱυτίδες* Etym. 214, 21, *βϱυτῆϱες* Joann. Gr. 244, 6. Apoll. de adv. 567, 20. Orta est forma *Fϱύομαι* syncope adhibita ex *Fεϱύω*, quod verbum litteram Aeolicam in fronte habere tum ostendit eius in Homero usus, quum saepissime hiatum admittat brevesque syllabas in consonam desinentes producat, tum ex forma *αὐέϱυω* (Il. *ϑ* 325, *μ* 261) conspicitur, quae non potest non orta esse ex *αν-Fεϱύω* (re-traho). Nam formam ex *αὖ* adverbio et *ἐϱύω* verbo constare propterea non est credibile, quod nulla alia verba cum illo adverbio componuntur.

10. *PY* (*ΣPY*).

a) *ϱέω*. Il. *μ* 159 *βέλεα ϱέον*.

b) *ϱοός*. Il. *π* 151 *παϱὰ ϱοόν*, *ϱ* 264 *ποτὶ ϱοόν*, *σ* 402 *πεϱὶ δὲ ϱοός* *φ* 147 *κατὰ ϱοόν*.

c) *ῥώομαι*. Littera initialis duplicatur in forma *ἐῤῥώοντο*. De verbi origine v. Curtium Et. n. 517.

Radix conferenda est cum sanscrit. „srav-âmi“ (fluo), et Thiudisc. antiquae aetatis „strou-m“ (de t littera inserta cf. Kuhn Zeitschrift für vergleich. Sprachf. IV. 27), Lit. „srav-ju“ (fluo). Sed, ut supra diximus, saepe in vocum fronte *σ* in spiritum asperum mutatum est. Quare non debet mirum videri, quod rarissime vis primitivae consonantis in carminibus Homericis apparet. Verum ne putes huic radici olim digamma praefixum fuisse, monet Apoll. de adv. 567, 20: *οὐ μὴν τὸ ῥέω ἔτι βρέω φασίν.*

11. *Ῥινός*.

Il. ε 308 *ὦσε δ' ἀπὸ ῥινόν*, η 574 *ἄλλοι δὲ ῥινοῖς*, κ 155 *ἔστρωτο ῥινόν*, μ 363 *ἀλλ' οἵγε ῥινοῖσι*, ν 406 *τὴν ἄρ' ὅγε ῥινοῖσι*, π 636 *χαλκοῦ τε ῥινοῦ* Od. ε 426 *ἔνθα κ' ἀπό ῥινούς*, μ 12 *περὶ δὲ ῥινοί*, ξ 134, χ 278 *ἄκρην δὲ ῥινόν.*

Unus tantum locus repugnat Od. ε 281 (*ὄρεα σκιόεντα*) *εἴσατο δ' ὡς ὅτε ῥινόν*, qui iam veteribus criticis maximam in interpretando praebuit difficultatem (cf. scholl. ad hunc locum). Sed quum non solum productio brevis syllabae neglecta sit, sed etiam genus neutrum offendat, quod praeter hunc locum nunquam in Homero invenitur, Nitzschium sequendum esse putavimus, qui Aristarchi lectionem *ὡς ὅτ' ἔρινον* in textum recipit. Verum substantivo *ῥινός* antiquis temporibus digamma praefixum fuisse cernitur ex adiectivo (*ταλαύρινος*). Constat enim ex radice *ταλ*, quae est in *τλῆ-ναι*, copula *α* et substantivo *Ϝρινός*. Recte igitur in sua conditione Eustathius 548, 30. 1065, 65 docet *υ* supervacaneum esse adnotans: *ταλαύρινος πλεονασμῷ Αἰολικῷ τοῦ υ, ὡς ἄρηκτος αὔρηκτος.* Tum ostendit literam Aeolicam forma *γρῖνος* [1]) quam Choeroboscus anecdot. ox. II. 188, 9, Etym. 241, 46, Eustath. 1926, et Hesychius af-

1) De accentu Aeolico cf. Ahrens I. p. 10, de *γ* littera digammatis loco posita II. 88.

ferunt et voce *δέρμα* explicant. De vocis origine nihil certi constat. Benfeyus II. 302 recte radicem Sanscriticam vlî (vrî, vr) tegere offerre videtur.

12. *ῥέα.*

Il. *ϑ* 117 *ἵπποι δὲ ῥέα*, *υ* 101 *οὐ μὲ μάλα ῥέα.* Semel syllaba correpta manet Il. *ρ* 70 *ἔνϑα κε ῥεῖα φέροι*, sed corrigendum videtur *ἔνϑα ῥέα κε φέροι* (cf. Il. *μ* 381, *ν* 144).

Adverbium apud Aeoles digamma in fronte habuisse videri potest ex Eustathio 163, 31, Apollonio de adv. 567, 20, ubi legitur *βρᾷ* et *βρᾴδιος.*

13. *ῥοδανός.*

Il. *σ* 576 *διὰ ῥοδανόν*, quae est Aristarchi lectio, quum Zenodotus habeat *ῥαδαλός*. Forma est alia adiectivi *ῥαδινός*, cuius digamma conspicitur ex forma *βραδινός* apud Sappho in Hephaest. I. §. 43 ed. Gaisford. Verbum eiusdem radicis affert Hesychius *βραδανίζεται τινάσσει.*

14. *ῥίς.*

Il. *ξ* 467, *ψ* 395, 728 *στόμα τὲ ῥῖνές τε.*

Benfeyus II. 142 recte substantivum Sanscrit. „g̒râṇa" (nasus) confert, ex quo concludi potest primitivae Graeci vocabuli formae duas in fronte consonas attribuendas esse.

15. *ῥίον.*

Il. *ϑ* 25 *περὶ ῥίον*, *ξ* 225, *τ* 114 *λίπε ῥίον*, Od. *ι* 191 *ἀλλὰ ῥίῳ.*

De fronte huius vocis nihil constitui potest. Benfeyus putat eam cohaerere cum Sanscritica radice „vṛh" (crescere).

16. *Ῥοδιός.*

Il. *μ* 20 *Κάρησός τε Ῥοδιός τε.*

Nomen huius herois a rosa ductum esse videtur. Verum ῥοδόν substantivum in dialecto Aeolica digamma habuisse, ostendit forma βρόδον, qua Sappho usa esse dicitur ab Orione p. 140, 18. Eadem forma legitur apud Apoll. de adv. 567, 20 et Joann. Gr. 236, Etym. 185, 19 et Hesych. s. h. v. (cf. Ahrens I. p. 4 annot. 9).

§. 8.

Tum multa vocabula a ν liquida incipientia vim breves syllabas producendi ostendunt. De quo genere productionis iam Ahrensius Mus. Rhen. n. s. II. p. 167 sqq. multa docte sciteque disseruit, quibus pauca addere placet.

Producuntur vero breves syllabae ante has radices:

1. *ΝΕΦ.*

a) *νέφος.* Il. ε 525 *ἀνέμων οἷτε νέφεα,* ψ 366 *ἀειρομένη ὥστε νέφος,* Od. ε 293, ι 314 *σὺν δὲ νεφέεσσιν,* Il. χ 309 *διὰ νεφέων,* Il. ο 625, π 375, ψ 874 *ὑπὸ νεφέων,* Il. ρ 594 *κατὰ νεφέεσσιν,* Od. ϑ 374, λ 542 *ποτὶ νέφεα,* Il. δ 274, ψ 333, Od. ι 145 *δὲ νέφεα,* Il. λ 305 *ὁπότε νέφ.* Od. υ 114 *ποτὶ νέφ.* Tribus locis syllaba correpta manet, Il. ρ 243, ρ 372, ν 523.

b) *νεφέλη.*

Il. ξ 350 *ἐπὶ δὲ νεφέλην,* Od. ε 291 *ξύναγε(ν) νεφέλας,* Il. ξ 293 *ἴδε δὲ νεφεληγερέτα* et *ἀννέφελος,* quod Od. ζ 45 multi codices habent[1], quamquam forma *ἀνέφελος* analogia formae *ἀϑάνατος* omnino comprobatur.

---

1) cf. Bekker in annot. ad Odysseam.

Iam vero voces Homericae ἰοδνεφής et δνοφερός manifeste ostendunt frontem radicis duabus consonis instructam fuisse. Atque illa adiectiva propterea frontem integram retinuisse videntur, quod e posterioris linguae usu evanuerant. Linguae cognatae multae quidem δ abiecerunt, ut Sct. „nab'as", Lat. „nubes", Thiud. antiquae aetatis „nepal"; verum Lithuanica „debbesis" et Lettica „debbes" ν eiecto d retinuerunt.

2. *ΝΙΦ.*

a) νιφάς. Il. γ 222 ἔπεα νιφάδεσσιν, μ 278 ὥστε νιφάδες.

b) νιφόεις. Il. ϑ 385 ὑπὸ νιφόεντα, Od. τ 338 ὄρεα νιφόεντα.

c) ἀγάννιφος. Il. α 420, σ 186. Constat adiectivum ex ἄγα — (non ἄγαν cf. ἀγάκλυτος) et νίφος.

Nunquam syllaba brevis ante has voces cernitur, quippe quae ipsa a duabus brevibus inchoent. Duplicem consonam, quam Latina quoque lingua amisit, retinuit Thiudiscarum linguarum stirps, ut Gothica „snaivs", Thiudisca med. aet. „sneo" (Gen. snewes), tum Lithuanica „snegas".

3. νύμφη.

Od. ξ 105 τῇ δέ ϑ' ἅμα Νύμφαι, ι 154 ὦρσαν δὲ Νύμφαι, Il. ξ 103 ὃν ἄρα Νύμφη. Sed syllaba antecedens saepe corripitur.

Ahrensius putat hoc substantivum eiusdem stirpis esse ac νέφος; sed opinio Benfeyi II. 180 magis probanda videtur, qui radicem vocis comparat cum Thiudisca forma „knuph-jan" (nectere). Latinum quoque verbum „nubo" vestigium abiectae consonae praebere Lachmannus (ad Lucret. p. 136) ex multis argumentis demonstravit; nam quod Corssenius I. p. 43 animadvertit, frontem a duabus consonis ordientem propterea statui non posse, quod in cognatis vocibus νέφος, nubes, quibuscum νύμφη cohaereat, nunquam duae consonae conspiciantur, non veram vo-

cabuli originem constituens fallitur. Illam vero originem si accipis, vox notionem habet puellae puberis [1]).

4. νευρή.

Producitur ante hoc substantivum posterior praepositionum syllaba: ἀπὸ Il. ϑ 300, 309, λ 476, 664, ν 585, π 773, φ 113, ἐπὶ Il. δ 118, ϑ 324, Od. λ 307. Brevem syllabam substantivum nunquam excipit.

Duplicem litteram initialem ostendit lingua Sanscrit. „snas'a" (laqueus), Island. vet. „snara" et Thiud. ant. aetat. „snuor, snaraha". Quod Ahrensius l. l. et Pottius I. 230 docent ex „nesvod" forma in fragmento duodecim tabularum apud Gellium XX, 1 conservata concludere licere Latinum quoque substantivum antiquis temporibus „snervus" sonasse, propterea placere non potest, quod illa forma apud Gellium omnino non legitur.

5. νυός.

Il. ω 166 δώματ' ἰδὲ νυοί. Saepe brevis syllaba antecedit: Il. χ 65, Od. γ 551.

Litteram initialem primitivam lingua Sanscr. „snus'a" et Thiud. „snur" conservaverunt (cf. Curtius Etym. n. 444).

6. ΝΥ (σνυ, fluere).

a) νέω (pro σνεϜ-ω, cf. Aor. ἔ-νευ-σα). Il. φ 11 ἔννεον, quae est Aristarchi lectio, quum scholia multos codices νήχοντ' habuisse expresse dicant.

b) νηῦς. Il. ν 742 ἤ κεν ἐνὶ νήεσσιν.

c) νότος. Od. μ 427 ἦλϑε δ' ἐπὶ Νότος, Il. λ 84, ψ 715 κατὰ δὲ νότιος.

Conferenda est radix cum sanscritica „snu, snâumi" (fluo), unde concludere licet etiam Graeco verbo „νέω" antiquis temporibus duas in fronte consonas fuisse.

---

1) Latinum, „nympha" non idem est, quod „lympha", ut Varro 7, 87 putat; nam l et n in initio vocum non inter se miscentur (cf. Grimm: hist. ling. Thiud. p. 134).

Sed νηῦς, cuius primigenia forma ναυός in titulo Camaeo (Caylus, Recueil d'ant. T. II. tab. 56 v. 5. 16) et Mytilenaeo (Franz, elem. epigr. Graec. n. 75, v. 38) invenitur et a grammaticis Aeolica vocatur (cf. Ahrens I. p. 36. annot. 11), dubitari nequit quin ab illa radice originem ducat. Tum vero „Νότος" substantivum huic radici attribuendum esse ostendit forma Sanscritica „snu-tas" (stillans), ex quo intelligitur Graecos illi vento ob imbres, quos afferre solet, nomen manantis dedisse.

7. *ΝΑ* (σνα, lavari).

a) νίζω. Il. κ 572 ἀπενίζοντο.

b) νητός. Od. β 338 ὅθι νητός, Il. σ 596, ω 580, Od. η 97 ἐύννητος, quod semper epitheton vestium est.

c) νῆσος. Od. κ 3 πλωτῇ ἐνὶ νήσῳ [1]).

In lingua Sanscritica inest radix „snâ" (lavari), cuius causalis formam „snap-ay" habet. Verum huic formae conferre licet Graecam formam νίζω (fut. νίψω, νίπ-τω [2]). Radix in Dorica dialecto servata esse videtur, quum ab ea Theocriteum illud „νᾶμα" (XV, 27) derivandum sit. Itaque Ahrensius ab illa radice recte adiectivum „νητός" et ἐύννητος" deducit [3]), ut notio „lavata, pura" primigenia sub eo subiicienda esse videatur. Illud vero epitheton nihil obstat quominus et vestibus (cf. φᾶρος εὔπλυνές) et auro attribuamus.

---

1) Quod Boppius putat „νῆσος" cum Sct. „nâsâ" (nasus) conferendum esse, propterea non placet, quod promontoria quidem, neque vero insulae „maris nares" vocari possunt. Verum notio „natantis" omnino probanda videtur.

2) De α in ε mutato cf. ἵζω et sad (sido), ἵππος et as'vas, aliasque voces.

3) Etenim νητός adiectivum pro νήητος positum esse statui nequit, neque a νέω verbo nendi significatione instructo originem ducere potest, quum Ahrensius recte observet, vestes texi, non neri.

8. *νεύω.* Od. *ι* 490 *κρατὶ κατανεύων.*

Gothica forma „hneivan“ adducimur, ut verbum ad formam „*κνεF*“ revocandum esse censeamus, quod verbo *κνώσσω* confirmari videtur. Sed quum nullo alio loco verbum duarum consonarum vestigia praebeat, recte proposuit Ahrensius scribendum esse: *κράατι καννεύων.*

9. *νύσσα.* Il. *ψ* 458, Od. *θ* 121 *τοῖσι δ' ἀπὸ νύσσης.*

Radix huius substantivi latet. Conferenda esse videtur cum forma in lingua Island. vet. conservata „gnu“ (obtundere cf. Benfey II. p. 182) et Latina „gnitor“ (cf. Fert. p. 96), ut propria vis „lapidis in currum obnitentis“ sit. (Cf. Sanscr. nu-d tundere).

10. *νημερτής.* Od. *γ* 327 *λίσσεσθαι δέ μιν αὐτὸν ἵνα νημερτὲς ἐνίσπῃ.*

Duplicem consonantem in fronte positam fuisse credi nequit, quia adiectivum ex signo negationis *ν* et verbo *ἁμαρτεῖν* compositum est. Recte igitur Ahrensius multis causis commotus corrigit *ἵν' ἂν*, qua emendatione productio illicita tollitur.

11. *νῦν.*
Il. *ο* 99 *εἴπερ καί τις ἔτι νῦν δαίνυται εὔφρων.*

Quum post particulam *εἴπερ* indicativus in re nondum transacta adhibitus offendat, Ahrensius omisso *ἔτι* adverbio recte legere videtur: *εἴπερ καί τις νῦν δαίνυται ἔὔφρων*, ut *δαίνυται* coniunctivus sit. Ceteris locis ubi brevis syllabae productio ante hanc particulam invenitur, Il. *δ* 301 *ἔα νῦν*, Od. *δ* 685 *Αἴαντε νῦν*, *ψ* 602 *Ἀντίλοχε νῦν*, haud scio an corruptelam subesse accipiendum sit.

§. 9.

Deinde multae radices a *λ* incipientes vim syllabas breves antecedentes producendi habere videntur. Sunt autem radices hae:

1. λαπάρη.

Il. γ 359 παρὰ λαπάρην, η 253, ξ 447, 517 κατὰ λαπάρην, υ 307 ὑπὸ λαπάρῃ, χ 307 ὑπὸ λαπάρην.

Substantivum originem ducit ab adiectivo λαπαρός (mollis). Benfeyus II, 11 confert vocis radicem cum Sct. „glâp-ay" (imbecillum reddere), cum Slv. „slab" et nostro „schlaff", unde duas consonas et ipsi Graeco vocabulo praefixas fuisse concludere licet.

2. λιγύς.

Il. γ 214 μαλὰ δὲ λιγέως, ν 334 ὑπὸ λιγέων, τ 5 κλαίοντα λιγέως, Od. γ 130 ἐφράσατο λιγέων, κ 201 κλαῖον δὲ λιγέως, λ 391 κλαῖε δ' ὅγε λιγέως, π 216 κλαῖον δέ λιγέως, Il. ψ 215 ὑπὸ λιγυρῇ; sed saepissime syllaba brevis manet.

Hoc adjectivum non debet dubitari quin eiusdem stirpis sit ac verbum κλάζω (ἔ-κλᾰγ-ον), quum „λάκος" substantivum a „κλαγ" radice ductum item gutturalem initialem amiserit. Notio soni acuti huic radici primigenia subiicienda esse videtur. In lingua Sanscr. exstat radix „s'ru" (sonare), cuius litteram caninam facillime in cognatam λ litteram transire plurimis exemplis docet grammatica comparativa. Tum in verbo Thiudisco „klingen" duae consonae in fronte conservatae sunt.

3. λιαρός.

Il. λ 477; αἷμα λιαρόν, Il. ξ 164, Od. ε 286, η 266 ἀπήμονά τε λιαρόν, Od. ξ 164, ω 45 ὕδατί τε λιαρῷ.

Alia huius adieςtivi forma in lingua Graeca reperitur „χλιαρός", quae non dubium est quin antiquior sit. Adiectivum formatum esse videtur αρος terminatione χλι radici adiecta, quae radix in verbo χλῐαίνω ejusque derivatis semper integra manet et comparanda est cum Sct. „gʻṛ" (calefacere). Cf. Benfey. II. 195.

4. λόφος.

Il. ν 573, κ 573 ἠδὲ λόφον, ν 615 ὑπὸ λόφον, Il. κ 258 ἄλλοφος (quamquam ἄλοφος analogia ἀθάνατός tuetur), Od. κ 169 κατᾶλοφάδια (quod adverbium in scholl. cod. Harles. καταλλοφαδεια scriptum est.

Notio „cristae“ ex vi „colli“ deducta esse videtur. Sed quum substantivum etiam notionem „collis“ (cf. Od. κ 596, π 471 et semper apud Pindarum) habeat, vis rei cameratae primigenia esse videtur. Quam significationem quum et ipsa vox Latina „globus“ habeat, non debet dubitari quin utraque uni radici adiudicanda sit. Quare Benfeyus II. 311 λόφος cum „globus“ conferens recte docet Graeco vocabulo duas in fronte consonas attribuendas esse. Quod si accipis, iure poeta illis brevibus syllabis longarum loco utitur.

5. λίσσομαι (λιτ-ιομαι).

Il. α 394 Δία λίσσαι, δ 397 μάλα λίσσοιτο, ι 451 ἐμὲ λισσέσκετο, ι 520 ἄνδρας δὲ λίσσεσθαι, ι 574, σ 448 τὸν δὲ λίσσοντο, ε 348, φ 368, χ 91 πολλὰ λισσομένη, Od. η 144, ψ 196 ὁ δὲ λιτάνευε. Il. ι 502 καὶ γάρ τε Λιταί et semper ἐλλίσετο, ἐλλιτάνευε et τρίλλιστος (ex τρί-λιστος).

Uno tantum loco ante λίσσομαι syllaba brevis invenitur Il. π 47. Nam lectio illa Il. α 15, 374 καὶ ἐλίσσετο, Wolfii opera in editiones nostras irrepsit contra auctoritatem Aristarchi, quem λίσσετο scripsisse scholia docent. Conferenda est radix Sanscrit. „grd‘“ (petere), cuius simillimam eiusdem notionis formam vox Graeca „γλίχομαι“ retinuit. (De aspiratis inter se mutatis cf. δίχα et dvid‘a.) Ex quo concludere licet λίσσομαι verbum Homeri aetate gutturalem in fronte habuisse, quae postea abiecta est.

6. ΛΙΠ.

a) λίπα. Il. ξ 171 ἀλείψατο δὲ λίπ', Od. γ 466, κ 364, 440 ἔχρισε(ν) λίπ' ἐλαίῳ, τ 505 ἤλειψε λίπ' ἐλαίῳ.

b) λιπαρός. Il. χ 206 ὑπὸ δὲ λιπαρήν, Od. λ 135, β 44, κ 132, ψ 283 ὑπὸ λιπαρῷ, ρ 410 ἔπεχε λιπάρους, τ 368 γῆράς τε λιπαρόν, et semper in formula epica ποσσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν.

Gutturalem huic radici antepositam, quam ne Sanscritica quidem lingua retinuit, sola lingua Thiudisca ant. aet. conservasse videtur in forma „chlîp" (unguere, cf. Benfey. II. 122). Verum aliae voces simillimae notionis satis multae litteram primitivam in lingua Graeca retinuerunt, ut γλοία, γλία, γλιττός (cf. Curtius Etym. n. 544).

8. λέχος, λέκτρον.

Od. α 366, ϑ 213 παρὰ λεχέεσσιν, ψ 32 ὑπὸ λέκτροιο, sed saepissime brevis syllaba manet.

Substantiva derivanda sunt a „λέχομαι" (cubare) verbo, quod inest in Hesychii glossa λέξασθαι, κοιμηθῆναι. Hoc verbum cohaeret cum Latino verbo legendi vi illa, quam in vocabulis lectus et lectica habet, unde etiam locus originem ducit. Sed Festus p. 248 s. v. stlata refert antiquos stloco pro loco dixisse. Itaque Lindemannus in comm. p. 682 s. v. stlembus recte ita concludit: „Tum stlocus haud dubie cohaeret cum Germanorum vocabulo „ſtrecken, recken", quod Graecis fortasse olim στλέγω sonabat, unde superest λέγω, i. q. sterno, Latinis stlego, lego, quod superest in lectus, i. e. λέκτρον λέχος. . . . Ex quibus apparet, verba „stlata, stlocus" communem fontem habere in Sct. „str (sterno)". Similem originem statuit Benfey II. 316. Illam vero stirpem si ponis, λέχος et λέκτρον substantiva Homeri aetate σλέχος et σλέκτρον sonasse suspicari licet.

9. λαμβάνω (λαβ).

Post augmentum semper liquida initialis geminatur, quare Il. υ 428, quo unico loco ἔλαβε legebatur, a Bekkero rectissime προτὶ οἱ δὲ λάβε restitutum est. Conferenda est radix cum forma „grabh", quae est in dialecto Vêdica, cum Goth. „gripan" et Lit. „glob-oyu." Ex quo concludi potest, Graeco verbo an-

tiquissimis temporibus formam „γλαφ“ [1]) fuisse gutturalemque initialem Homeri aetate ita valuisse, ut post augmentum audiretur facileque cum ν sequenti coalescere posset.

10. λῖς (sive λίς, si Aristarchum sequi mavis).

Il. λ 239 ὥστε λῖς, λ 480 ἐπί τε λῖν, ρ 209 ὥστε λῖς, σ 380 ὥστε λείων, ο 592 Τρῶες δὲ λείουσιν.

Vox similis non inest in linguis cognatis, quare non potest constitui, num in fronte littera omissa sit (cf. Pott 1, 119, Benfey II, 1).

11. λωτός.

Il. φ 351 καίετο δὲ λωτός, μ 283 πεδία λωτεῦντα, ubi Bekkerus Aristarchum sequens scribit λωτοῦντα.

Benfeyus l. l. docet hoc nomen proprium eiusdem originis esse, ac λωτός adiectivum, et olim a duabus consonis inchoasse.

13. λείβω.

Il. ω 285, Od. ο 149 ὄφρα λείψαντε κιοίτην.

Quum in hac vocum coniunctione sola productio brevis syllabae antecedentis conspicitur, scribendum esse puto: ὄφρ' ἂν λείψαντε. (De ὄφρ' ἄν cf. Brunck ad. Apoll. Rh. 1, 17 et Matthiae. gr. gr. 520, 2), Nam quum ὄφρ' ἄν particularum coniunctio postea e linguae usu evanuisset, grammatici brevem syllabam sola caesurae ope produci putantes ἄν particulam e textu removerunt.

§. 10.

Tum nonnullis radicibus a μ incipientibus vis brevis syllabae producendae vindicanda est. Sunt autem hae:

---

1) Primitivam aspiratam retinuerunt multa derivata ut λάφυρον, ἀμφιλαφής cf. Benfey II. 139.

1. *μελίη*.

Il. *ν* 178 *ἔπεσε μελίη*, *π* 143 *πηλιάδα μελίην*, *π* 776 *φηρόν τε μελίην*, *τ* 390 *πηλιάδα μελίην*, *ν* 277 *ἤιζε μελίην*, *υ* 320 *ὁ δὲ μελίην*, *χ* 133 *πηλιάδα μελίην*, *χ* 225 *ἐπὶ μελίης* et semper *ἐϋμμελίης*, cui adiicere placet *φερεμμελίης* apud Mimnermum carm. 12, 4 ed. Schneidewin. Corripitur semper syllaba brevis ante adiectivum eiusdem radicis *μείλινος*, ut Il. *π* 814 *δόρυ μείλινον*. Sed dicendum est, saepe usu venire ut derivata mutentur, quum radices formam primitivam integram retineant.

Alia eiusdem generis arbor exstat, quam Graeci *σμίλος* vocant. Huius vocis prima littera postea aut abiici aut retineri potuit, ut duae formae essent *σμῖλος* et *μῖλος*. Radicem huius substantivi confert Benfeyus I. 477 Sct. „smi" (polire), ut *σμῖλος* proprie significet „arborem levem." Verum maiore cum iure credi potest fraxinum, quae ob levitatem ad hastas conficiendas usurpabatur, a levitate nomen ducere. Sed quum omnino dubitari nequeat, quin voces *μελίη* et *μῖλαξ* (*σμῖλαξ*) eiusdem originis sint, utramque olim a duabus consonis incepisse concludere licet.

2. *μειδάω*.

Prima littera semper geminatur in adiectivo *φιλομμειδής*. Benfeyus recte verbum comparat cum Sct. „smi" (ridere [1]) et Thiud. „smilen". Graeca lingua in illo tantum adiectivo composito litteram frontis initialem retinuit, quae cum liquida *μ* assimilatione in unum sonum coaluisse videtur.

3. *ΜΕΡ*.

a) *μοῖρα*. Il. *π* 367, Od. *γ* 331, 457, *δ* 783, *ϑ* 54, 398, *ι* 245, 309, 342, *κ* 16, *μ* 35, *υ* 281 *κατὰ μοῖραν*. Od. *ξ* 434 *διεμμοιρᾶτο*.

b) *ἔμμορεν*, *ἄμμορος*.

---

1) Ceterum monendum est radicem „smi" (ridere) eandem esse ac „smi" (polire).

Hanc radicem duas in fronte consonas olim habuisse ostendit forma perfecti εἵμαρται, cuius diphthongus non potest non orta esse ex σεσμαρται. Nam σ in fronte illius formae positum in spiritum asperum mutatum est et εσ in ει abiit (cf. φάεσνος — φάεινος, ἔσμι — εἶμι). Quae vox Sct. huic radici respondeat, non satis constat. Ebelius (Zeitschr. V. 417) confert radicem Sct. „smar" (meminisse), quod mihi non probatur.

4. μάστιξ.

Il. ε 745 Ἥρη δὲ μάστιγι, ε 840 λάζετο δὲ μάστιγα, τ 395 ὁ δὲ μάστιγα, ψ 520, 642 ἄρα μάστιγα.

Benfeyus II. 190 rectissime docet „μάστιξ" substantivum ex „ἱμάς" (funis) repetendum esse, ut τιξ pro terminatione habeatur (cf. πάστιξ) et ex forma primigenia „ἱμάστιξ" ι initiale sensim evanuerit. Eandem originem accipit Lobeckius El. 76 et Curtius Etym. n. 602. Sed primitivae vocalis initialis aphaeresis ita facta esse videtur, ut i vocalis in cognatam j semivocalem mutaretur et sensim cum μ liquida in rudiorem quendam sonum coalesceret. Qui sonus Homeri tempore ad brevem syllabam producendam suffecisse videtur.

5. μόθος.

Il. σ 159, 537, φ 310 κατὰ μόθον.

Hoc substantivum aeque ac μόχθος, quod in posterioris linguae usu erat, a radice ΜΟΓ originem ducere nihil obstat quin accipiatur. Nam haec radix saepe in compositis gutturalem radicalem amittit. (cf. μόγις — μόλις, μόγος — μόλος). Verum vocis frontem a binis consonis olim incepisse cognoscitur ex adiectivo Homerico „ἐπὶ-σμυγερός" Od. γ 194.

6. μορόεις.

Il. ξ 183, Od. σ 298 τρίγληνα μορόεντα.

De notione huius adiectivi nihil certi constat. Curtius (Etym. 466) ei confert vocem Sct. „smara-s" (amor), ut propriam vim „venustus" habeat; ex quo intelligitur duas olim in fronte consonas fuisse.

7. *ΜΕΓ.*

a) *μέγας.* Syllaba antecedens a poeta, prout versus exigit, aut producitur aut corripitur. Locos utriusque generis enumerare nolo.

b) *μέγαρον.* Hoc substantivum a radice „*μεγ*" derivandum esse, ut *μέγαρον* pro *μέγαλον* positum sit, iam recte observavit Buttmannus lex. I. p. 259.

De brevis syllabae antecedentis productione, idem dicendum est, quod de syllabis ante „*μέγας*" adiectivum productis diximus.

Quae radix in aliis linguis radici Graecae respondeat, non satis constat. Neque igitur de frontis forma certi quidquam constitui potest. Fortasse primigeniae formae constituendae viam monstrat forma adverbii „*σμαλερῶς*", quae est in poeta de viribus herbarum v. 100 (cf. Hermann de Orph. p. 718 [1]).

8. *μαλακός.*

Il. ι 617, κ 75, χ 504 *εὐνῇ ἐνὶ μαλακῇ.*

Quum vero his tantum locis et hac vocum coniunctione productio syllabae brevis comprehendatur, scribendum puto *εὐνῇ ἐν μαλακῇ.*

9. *μή.*

Il. η 353 *ἔλπομαι ἐκτελέεσθαι, ἵνα μὴ ῥέξομεν ὧδε.*

Offendit particula *ἵνα* post verbum *λίσσομαι* usurpata, quam ita adhiberi non posse iam supra (§. 8, 10) docuimus. Accipienda est igitur Aristarchi lectio *ἵν' ἄν*, qua difficultas metrica et grammatica tollitur.

10. Denique ρ 735, 746 legitur *οἵγε μεμαῶτε.* Sed restituendum esse videtur *οἵγ' ἐμμεμαῶτε* (cf. Il. υ 468 *ἀλλὰ μάλ' ἐμμεμαώς*, ε 142 *αὐτὰρ ὁ ἐμμεμαώς*).

---

1) *μάλα* ex *μέγαλα* ortum esse certis argumentis docent Bopp. et Benfey. I, 94.

§. 11.

Tum nonnullae voces a mutis incipientes breves syllabas producendi vim constanter ostendunt. Sunt autem hae:

1. *ΔΕ, ΔΙ.* (Cf. Spitzner de versu heroico p. 53).

a) *δέος.*
Il. α, 515 *ἐπὶ δέος*, ε 817 *οὔτε τί με δέος*, κ 376 *ὑπὸ δείους*, Il. ν 224 *οἴτε τινὰ δέος*, ο, 4 *ὑπὸ* (pro *ὑπαὶ*) *δείους*, ξ 387 *ἀλλὰ δέος.*

b) *δεῖσαι*, Il. ω 116 *ἐμέ τε δείσῃ*, Od. ι 236 *ἡμεῖς δὲ δείσαντες.*

c) *δεινός*, Il. γ. 172 *ἑκυρὲ δεινός*, κ 254, 272 *ἐνὶ δεινοῖσιν*, Il. λ, 10. Od. γ 322 *μέγα τε δεινόν*, Od. ε 52 *κατὰ δεινούς.*

d) *δειλός* Il. ε 574 *μὲν ἄρα δειλώ.*

e) *δεῖμος.* Il. λ 37 *περὶ δὲ δεῖμος*, ο 119 *κέλετο δεῖμος.*

f) *δεισήνωρ.* Il. ρ 217 *τε δεισήνορα.*

g) *ἔδδεισα, ὑποδδείσας, ἀδδέης*, quibus in formis Aristarchus summo iure scripsit singulas litteras.

h) *δείδια, δείδοικα, θεουδής*, quum Eustathius 611, 13 recte animadvertat, propter metrum primam syllabam in cognatam diphthongum mutatam esse. Ii loci, qui correptam antecedentem syllabam habent, hanc formam a grammaticis acceperunt. Inter quas correptiones vel potius corruptiones primum enumerandi sunt illi loci, quibus grammatici illicitam productionem ita tollebant, ut post syllabam in brevem vocalem desinentem et in thesi positam interponerent vocem bisyllabam a vocali incipientem et pyrrhichii vice fungentem, quo fieri necesse erat, ut vocalis syllabae ante productae eiiceretur et syllaba longa in duas breves mutaretur. Huius generis sunt Il. ϑ 133 *βροντήσας δ' ἄρα δεινόν*; Od. δ, 203, ω 534 *τῶν δ' ἀρὰ δεισάντων* Il. ν 278 *ἔνϑ' ὅτε δεινόν*; Od. β 66 *θεῶνδ' ὑποδείσατε*; sed ubique vox bisyllaba eiicienda est, ut locus ita legatur: *τῶν δὲ*

δεισάντων, *βροντήσας δὲ δεινόν*; *ἔνθα δεινόν*, *θεῶν δὲ δείσατε*. Saepe autem grammatici formam contractam dissolverunt, quo duae breves syllabae ante hanc radicem ponerentur, ut Il. *ο* 626 *ἀνέμοιο δὲ δεινός*, *ν* 163, Od. *β* 166 *ἀπὸ ἕο δεῖσε*, et corrigendum est *ἀνέμου δὲ δεινός*, *ἀπὸ οἱ δεῖσε*. Tum ille locus Il. *η* 117, quo correptio in adiectivo *ἀδεής* conspicitur: *εἴπερ ἀδειής ἐστι καὶ εἰ μόθου ἐστ' ἀκόρητος* ab Ahrensio recte ita restitutus est: *εἴπερ τ' ἀδδειής καιὲὶ* (pro *καὶ ἀεὶ*) *μόθου ἐστ' ἀκόρητος*. Nam praeter supervacaneum *ἐστί* offendit indicativus post particulam *εἴπερ* in rebus nondum praeteritis adhibitus, quam constans Homeri usus respuit [1]. Denique ad formam *δεδίασι* Il. *ω* 663 quod attinet dicendum est, postremum Iliadis librum a multis criticis Homero abiudicari.

Sed omnis difficultas metrica tollitur, si cum Dawesio (Misc. crit. p. 165), Buttmanno (lex. I. 171, gr. p. 7) et Benfeyo (II. 224) ponimus antiquis temporibus hanc stirpem digamma post *δ* initiale habuisse. Quod digamma re vera post primam radicis litteram positum fuisse docet Hesychii glossa: *δεδροικώς*, *δεδοικώς Κρῆτες*, cui nihil corruptelae subesse docet alia Hesychii glossa *τρέ*, *σε* (Sct. tva). Nam in his formis *ρ* ex *F* natum esse, doctissime ostendit Boppius (gr. comp. §. 20). Tum digamma post *δ* positum fuisse ex eo sequitur, quod voces eiusdem radicis in cognatis linguis digamma utuntur. Respondet enim *δέος* et *δίω* Sanscriticis vocabulis „dvês'a" et „dvis'", quae simillimam significationem odii habent (cf. Leo Meyer in Zeitschrift VII. 195). Verum hae voces Sct. originem ducunt ex numerali „dvi" (them.) duo, ut primigenia earum notio esse videatur „in duas partes ire". Ex qua ut vis odii nasci poterat, ita etiam timoris significationem prodiisse licet credere. Itaque et ipsum substantivum „*δέος*" et verbum „*δίω*" ex primigenia et integra forma numeralis *δύω* ducenda videntur. Haec autem purissima

---

1) Quatuor loci, qui indicativum praebent, ab Ahrensio aut explicati aut sanati sunt. Nostro loco *ἔστ'* pro *ἔσται* positum est.

servata est in lingua Sct., ubi hanc speciem habet: „dva“ et „dvi“ (them.). Ab altera igitur „dva“, cuius α in ε abire solebat (cf. Bopp. §. 3), substantivum δϜέος, ab altera δϜι verbum δϜίω (them) ductum est. Sed ut postea in adverbio numerali δίς [1]) digamma plane abiectum est, ita etiam post primam substantivi „δέος“ litteram plane evanuit. Neque vero verbum ἀποδίωμι, quod nunquam posteriorem praepositionis syllabam producere Buttmannus recte docet (Ausf. Gramm. II. 146), huic radici attribuendum est. Nam quamquam cognata significatione fugandi utatur, tamen aliam stirpem habere et cum Sct. „di“ (diyâmi, fugere) conferendum esse Curtius docet.

Hac vero radicis ΔΕ, ΔΙ forma constituta, origo et geminatae post augmentum mutae et diphthongi cognoscitur. Nam digamma aut cum δ coalescere potuit, ut forma ἔδδεισα nasceretur, aut plane abiectum est, ut vocalis brevis antecedens in cognatam diphthongum abiret [2]).

2. δήν.

Il. ξ 139, ϑ 126, υ 426, ψ 640, Od. β 36, 397, ϱ 17, 120: ἀλλὰ δήν. Od. α 203, Il. ι 415 ἔτι δηρὸν ἐπὶ δερόν, Il. α 416 μάλα δήν.

Quibus locis syllaba brevis deprehenditur, grammatici ad productionem emovendam eisdem artibus atque in syllabis ante ΔΚ et ΔΙ productis usi sunt. Eadem igitur medela illis locis allata digimma vim innatam retinet: Il. β 439 μηδ' ἔτι δηρόν l. μηδὲ δηρὸν; ε 895 μήν σ' ἔτι δηρόν l. μήν σε δηρόν, Od. β 285 οὐκ ἔτι δηρόν l. οὔχι δηρόν, Il. ε 885 ἤ τέκε δηρόν l. ἤ κε δηρόν; ϱ 41 ἀλλ' οὐ μὴν ἔτι δηρόν l. ἀλλ' οὐ μήν γε δηρόν.

---

1) Hanc formam antiquis temporibus δϜίς sonasse, ostendit Buttmann. (lex. I. p. 171 et Gr. Gr. §. 16 annot.). Forma „δύω“ ex primigenia „δϜα“ prodiit, ut κύων ex r'van, cf. Bopp. §. 19.

2) Simili ratione ex antiqua forma ξένϜος (quae est in altera inscr. Cercyraeorum antiquissima ed. a Franzio in eph. Arch. a 1846 p. 48) postea aut ξεῖνος (in dial. Ionica) aut ξέννος (in dial. Aeol.) formae prodierunt.

Hoc adverbium antiquis temporibus post litteram initialem digamma habuisse elucet maxime ex forma δοάν, qua Alcman usus est (cf. anecdot. Bekkeri 949, 20). Nam digamma apud Lacones saepe in o abiisse, certis argumentis ostendit Ahrensius de dial. II. 5, 2. Conferri potest δFήν adverbium cum voce Sanscrit „divâm", quae est forma accusativi singularis numeri, ut „divâm" pro incerto temporis spatio positum sit. Latina quoque lingua formam habet in adverbio pri-dem (cf. pridie Sct. divâ).

3. σάρξ.

Od. α 219 ἔτι σάρκας, ι 293 ἔγκατά τε σαρκές, σ 293 δειδιότα σαρκάς. Productio brevis syllabae negligitur Il. τ 490 διήφυσε σαρκός, quo unico loco in Homero singularis invenitur.

Alia huius substantivi forma inest in Hes. opp. „σύρξ" et Tzetzes ad hunc locum admonet formam Aeolicam esse: σύρκεσι, σαρξὶ Αἰολεῖς (cf. Ahrens I. §. 12, 3). De σύρκες forma loquitur praeterea Etym. m. 686, 9: Αἰολεῖς τὸ υ εἰς α τρέποντες τὰς σάρκας σύρκας λέγουσιν. Non dubito quin omnes mecum mirentur, quod altera forma υ vocali, altera α vocali instructa est. Nam quod grammatici afferunt de more apud Aeoles α in υ mutatum esse, in suspitionem haud parvam vocatur, quum Ahrensius auctor sit, unica certiora huius mutationis exempla esse σύρκες et πέσυρες. Verum formam πέσυρες et Homericam πίσυρες (Il. 15, 680. Od. 5, 170) ex antiqua forma „πεσFαρες" natam esse, ostendit grammatica comparativa (cf. Sct. catvâras — Lat. quatuor [1]) — Goth. fidvor). Itaque Ahrensius I. p. 79 recte concludere videtur, formas σύρξ et σάρξ ex anti-

1) In Latina lingua duae formae exstant; altera „quatuor", in qua semivocalis in cognatam vocalem abiit, postea semper in usu erat, altera „quattor", in qua semivocalis per assimilationem in t mutata est, invenitur apud Enn. annot. 96, 80 (ed. Vahlen). De his formis cf. Lachmann ad Lucr. III. 917.

qua forma σFαρξ artas esse. Substantivum mea sententia constat ex radice in lingua Sct. conservata „ṛt" (se movere), quae in Graeca lingua „ṛk" (cf. πόκα pro πότε) formam induere potuit, et pronomine „sva" quod in compositis notionem „ipse" pronominis habet [1]). Ex a et ṛ fieri ar constantissima in lingua Sanscritica est regula. Itaque nasci potuit σFαρκ-ς, quae vox notione rei se ipsam moventis, i. e. musculi primigenia utatur necesse est. Verum vox hac vi in carminibus Homericis aperte instructa est, quod ex illo loco, ubi singulariter posita est, et ex eius plurali usu constanter adhibito patet.

4. σεύω.

In hoc verbo post augmentum littera initialis semper geminatur. Conferendum videtur verbum Thiud. „swîf-an" (circumagi); ex quo suspicari licet verbum σεύω antiquis temporibus a binis consonis σF incepisse. Neque vero haec coniectura ultra id, quod verisimile habetur, progreditur. Etenim ex forma σευ-ω, quae apud poetas tantum in usu est, postea υ in cognatam litteram β obdurescente (cf. Ahrens I. §. 5, 4) forma „σοβέω" prodiit (cf. φέρω — φορέω, Buttmann 112, 8). De hoc vero verbo derivantur substantiva σοβή et φοβή, quae non nisi ex antiquissima forma σFοβή (Sct. svabâ) nata esse possunt. Itaque intelligitur et ipsum σεύ-ω et σοβ-έω antiquissimis temporibus σFευ-ω et σFοβέω sonasse. Hac forma accepta origo verbi „σπεύδω" intelligitur, nam ut a „δεῖσαι" forma δεί-δω, ita a σFεύ-ω forma σπεύδω ducitur.

5. Denique multae syllabae productae inveniuntur, quae omnino productionis causa carere videntur, ut Il. α 45 ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην, ψ 240 ἀριφραδέα τε Od. ϑ 47 κυλινδόμενά ποτ', ι 42 νισσόμεϑα κενέας, 353 πορφυρέα καϑύπερϑε, λ 396 ὀπταλέα τε et vocativi syllaba finalis, ut Il. δ 135 κασίγνητε

De „sva" pronomine in compositis adhibito cf. Bopp. gr. c. §. 341 et Benfey II. 176.

θάνατον, ε 399 κασίγνητε κομίσαι, τ 400 Βαλίε τηλεκλυτά, φ 474 νηπίτιέ τι. Sed binis tantum locis ante voces, quae syllabam productam excipiunt, productio invenitur, aliis vero sexcenties correptio conspicitur. Quapropter summo iure viri docti illos locos sanare studuerunt, ut Spitznerus Il. ψ 693 pro μέγα δέ ἑ scripsit μέλαν δέ ἑ (cf. Od. δ 35), neque desperandum est, fore ut medela illis locis allata pessima syllabarum productio removeatur.

§. 12.

Denique producuntur multae syllabae in vocum fine positae, quae in brevem terminantur vocalem insequenti voce item a vocali incipiente. Quod genus productionis durissimum esse, ex eo potest intelligi, quod praeter laesae prosodiae crimen peccatum est insuper hiatu admisso, quem artificium et indoles Homeri omnino effugit. Quare suspitio movetur vocabula illas syllabas breves excipientia antiquis temporibus a binis consonis inchoasse, quae postea plane e lingua evanuerint. Conspicitur brevium syllabarum productio

1. ante pronomen tertiae personae

a) tum personale: Il. ε 343, ν 163, υ 261, Od. δ 459, ι 398, 361, φ 136, 163 ἀπὸ ἕο; Il. ξ 62, κ 465, μ 205, υ 278 ἀπὸ ἕθεν; Il. φ 507, Od. ω 347 τὸν δὲ ποτὶ οἷ, Il. χ 307 τό οἱ ὑπό; b) tum possessivum: Il. ϱ 196 ὁ δ'ἀρὰ ᾧ, Il. β 832, λ 330 οὐδὲ οὕς, Il. ε 371, λ 226 θυγατέρα ἥν, Il. ξ 92 ἐπίσταιτο ᾗσι, Il. κ 270 δῶκε(ν) ᾧ.

In lingua Sanscritica pronomen personale formam „sva" habet (cf. Bopp Gr. c. §. 341, Curtius Etym. 601). Qua forma et ipsos Graecos antiquis temporibus usos fuisse suspicari licet. Verum quum posterioris aetatis lingua sigmatis cum digamma coniunctionem omnino respueret, altera consonarum aut abiici aut mutari solita est, quo factum est ut singulae formae in sin-

gulis dialectis aliam frontis speciem induerent. Sic exempli causa primigenia accusativi forma „σFε" in quincuplicem abiit Fέ, ἕ (pro σε) σφέ, φέ, ψέ, neque hae formae ad unam originem redigi possunt, nisi illa forma „σFε" primigenia accipitur[1]. Itaque si ponitur, Homerum duplicem harum formarum speciem habuisse, et a simplici digamma incipientem et duabus consonis σF instructam, ut postea in Atticae dialecti usu erant duae accusativi formae ἕ et σφέ[2], omnia et hiatus et illicitae productionis exempla non modo non excusantur, immo summo iure defenduntur. Tum altera pronominis forma restituenda est illis locis, quibus hiatus et brevis syllabae productio conspicitur, ut legendum sit σFέο, σFέθεν, σFοῦ, altera illis locis, quibus aut hiatus admittitur aut syllaba brevis antecedens et in consonam desinens producitur, ut Il. ν 803 πρὸ Fέθεν, υ 402 πρόσθε Fεθεν. restituendum sit.

Tum possessivi Sanscritici forma sva-s simplici s radici adiecto orta est. In Graeca vero lingua duae possessivi formae exstiterunt, quum copula ad adiectivum formandum aut adhiberi aut negligi posset. Si copula neglecta est, prodiit forma σFό-ς, quae altera consonaram initialium abiecta formam Fός et ὅς induit. Atque in carminibus Homericis plerumque forma Fός cernitur; illis vero locis, ubi brevis syllaba in vocalem desinens producitur, primigenia forma σFός restituenda esse videtur. At si copula ad vocem formandam adhibita est, metathesi consonarum radicalium facta forma σεF-ός prodiit[3], quae sigmate in spiritum asperum mutato postea hanc speciem „ἑFός" haberet[4]. Nunquam igitur haec forma in carminibus Homericis digammatis

1) In Latina quoque lingua vestigia duarum consonarum apparent in forma „sui" (pro „svi"), sibi (ex subi) pro svibi.

2) Cf. Brunck ad Aesch. Prom. 9 et Buttmann. lex. I, 17, 13.

3) Brevem a vocalem linguae Sct. a Graecis in ο vel ε mutari ostendit Bopp Gr. c. §. 3.

4) De hac forma, de qua Boppius non loquitur, Benfeyus non recte iudicat docens, ε ex F natum esse. Sed illam quam proposui originem formae

vestigium praebet. Loci sunt hi: Od. δ 618 ὅθ' ἑός, ο 118 παιδὸς ἑοῦ, Il. μ 403, α 496 εὔτυκτον ἑοῦ, Il. ν 36 μὲν ἑοῦ, Il. χ 500 πατρὸς ἑοῦ, Od. δ 714 πατρὸς ἑοῖο, Il. β 622, τ 399, ε 11, ψ 402, 360 υἱὸς ἑοῖο, Il. γ 522, ξ 9, σ 138 παιδὸς ἑοῖο, Il. ξ 266, σ 71 πεποιθα θ' ἑῷ, Il. κ 204 ἄρ' ἑῷ, Od. ο 202 μὲν ἑόν, Il. ξ 483 πόδ' ἑόν, Il. η 190 τὸν ἑόν, Il. ψ 295 τίς ἑόν, Od. α 216 καὶ ἑόν, Od. ρ 5 πατὴρ ἑός, Od. τ 209 ἄναχθ' ἑόν, Od. τ 392 ἄσαι ἑῶν, Il. ω 211 στῆθος ἑῇ, Il. π 753 μητρὸς ἑῆς, Il. ι 148, 290 ἀεικίσσασθαι ἑῇ, Il. χ 404 χοόωσα ἑήν, Od. τ 210 καὶ ἑόν, Od. φ 316 δῶσαι ἑόν, Il. ω 296, 319 ᾗ ἑοῖ, Od. δ 603. Accedunt illi loci quibus concursus vocalium interposito ν finali tollitur. Il. β 549 οἷσιν ἑῷ, Il. ω 511 γῆμεν ἑήν, Od. λ 282 κτεάτεσσιν ἑοῖς, Od. α 218, 430, ζ 115, 452 στήθεσσιν ἑοῖσιν, Il. α 83 τεκέεσσιν ἑοῖσιν, Il. μ 222 μεγάροισιν ἑοῖσιν, Od. ω 162, Od. τ 148 χερσίν ἑῇσιν, Il. ω 165 et ubi δ' ἑόν legitur. At contra ubi ante ἑός hiatus digammatis indicium praebere videtur, locus a grammaticis corruptus et pro illa monosyllaba duabus consonis instructa forma „σFός“ quia durities quaedam metrica gigni videbatur, bisyllaba ἑός posita est.

„ἑός“ vere adiudicandam esse ostendit analogia linguae Latinae, in qua eaedem formae reperiuntur. Non primum formam simplici σ themati adiecto formatam, quae „svus“ vel potius „svos“ et omisso υ „sos“ (nom.) sonabat, ostendit forma dativi „sis“ (ap. Ennium ann. 150 ed. Vahlen, Lucr. III. 1023 et Paulum cf. ann. Vahlen. ad. Enn. l. l.). Altera forma, quae metathesi consonantium facta et ος adiecto nata est, ut hanc speciem haberet „sov-os“, invenitur inscript. Neap. 5882, 229 „sovus“, Or. 4848 sove (vid. Corssen. I. p. 175). Nam quod Marius Victorinus p. 2259 (ed. Putsch.) docet hoc v ad longam syllabam significandam esse positum, id procul a vero abhorrere Ritschelius (Mon. epigraph. tria) diserte ostendit et praesertim ex eo, quod in inscriptionibus magna copia vocum u longo utentium hoc signo carent, sed vocabula „iubeo, cluaca“ u brevem habentia hoc incremento instructa sunt, doctissime conclusit, parvum tantum numerum radicum hac littera uti namque in iis semper consonae vice fungi. Sed postea pristina v consonans post u vocalem plane evanuit (cf. Corssen l. l.).

Sed quum Bekkerus (praef. ad. Hom. p. IV.) iure nos admoneat, ne blandimento aurium nimis consulentes ea absurda et absona habeamus, quae vera et genuina esse certa ratio efficiat, omnibus illis locis, ubi hiatus conspicitur, antiqua forma σFός restituenda esse videtur: Il. α 533 δὲ ἑόν, λ 47, μ 84, ξ 223 ἔπειτα ἑῷ, Od. ϑ 524 ὅστε ἑῆς, Od. λ 614 τελαμῶνα ἑῇ, Il. ι 687 χεῖρα ἑήν, Od. δ 338, ϱ 129 ἔπειτα ἑήν, Od. τ 277 ἐσκίδναντο ἑήν, Od. β 258, γ 387, σ 426 ἐσκίδναντο ἕα.

2. ἑκυϱός.

Il. γ 172 φιλὲ ἑκυϱέ.

Cf. Sct. s'vas'uras (pro svakuras) — Lat. socer (pro svacer, cf. svapnas somnus) — Goth. svaih-ra — Thiud. swehur. Cf. Bopp Gr. c. §. 19, §. 21 a, Benfey II. p. 176. Ex quibus formis concludere licet, primigeniam Graeci substantivi formam esse „σFεκυϱός“, qua in textum Homericum recepta productio defenditur.

3. ἀποέϱσαι Il. φ 283, 393. Semel posterior praepositionis syllaba corripitur Il. ζ 348. Buttmannus (lex. II. p. 169) reiecit sententiam illorum, qui formam ab ἔῤῥω (fluere) deducunt; sed quod ipse affirmat, formam a verbo ἔϱδω (pro ἄϱδω madere) deductam esse, propterea probari nequit, quod verbum eam vim non habere apertum sit. Sed postero tempore aliud verbum „σύϱω“ exstitit, quod eadem detrahendi notione utebatur (cf. Bianor IX. 278 χειμάῤῥῳ συϱομένη, Antiphon IX. 84 ναῦς κύμασι σύϱεται). Sed ut σύϱιγξ ex forma „svar“ (sonare cf. Curtius Et. 519) prodiit, ita „σύϱω“ quoque ex primigenia forma „σFέϱ-ω“ nasci potuit. Illam vero radicem „σFέϱ“ cum notione Latini verbi „suspendere“ in antiqua Graeca lingua viguisse et mutata fronte in vocibus „σειϱ-α, ἀ-είϱ-ω, ἕϱ-μα“ servatam esse, ostendit Curtius Etym. n. 518. Hac igitur radice accepta ἀπο-σFεϱ-ω debet significare „rem ita detrahere, ut suspendeat“. Qua notione ἀπο-έϱσαι locis Homericis aperte uti-

tur. Itaque antiqua forma ἀπο-σϜέρσαι restituta productio brevis syllabae defenditur. Verum quum σ saepe abiectum sit, non debet mirum videri, quod σ 348 syllaba ceteris locis producta corripitur.

4. *ΙΑΧ.*

a) ἰαχή. γένετο ἰαχή Il. δ 456, μ 144, ο 396, π 366, ὑπὸ ἰαχῆς Il. ο 275, οἱ δὲ ἰαχῇ π 373.

b) ἰάχω. Il. δ 506, ε 343, ξ 421, ρ 213, 317, σ 160, Od. κ 323 μέγα ἰάχων, Od. ι 392 μεγάλα ἰάχουσα, Il. ϑ 34, π 785, τ 41, υ 285, 382, 443 σμερδαλέα ἰάχων, Od. δ 455 δὲ ἰάχοντες.

Radix *ΙΑΧ* constat ex radice *ϜΑΧ* (clamare, cf. ἠχ-η et Sct. „vac'") et praefixo *Ϝι*, quod in aliis verbis formam δι habet et ex numerali „δϜι-ς" ortum est (cf. Pott. ed. alt. I. 708, Benfey I. p. 340). Sed ut in substantivo δϜέος primitivae consonae initiales Homeri tempore rudiorem quendam sonum effecerunt, qui ad syllabas breves producendas sufficeret, ita voces ἰάχω et ἰαχή usque ad Homeri aetatem primigeniam frontis speciem retinuisse videntur, ut iure syllabae breves antecedentes longam mensuram explerent. Itaque vox Homerica αἰιαχός ex α-δϜι-αχός nata esse videtur (cf. καναξαις ex κατϜαξαις).

5. Duo loci restant, quibus cur syllaba brevis producatur, causum afferre nequeo Il. τ 35 ἀποειπών et ε 576 Πυλαιμένεα ἐλέτην.

§. 15.

His perpensis non dubito quin omnes hac re mihi consentiant, productionem brevium syllabarum in Homero legitima duarum consonarum positione defendi. Nam quamquam, ut natura quaestionis fert, in singulis casibus res in dubium vocatur, in universum tamen revinci nequit et eo confirmari videtur, quod

ante voces νημερτής, νῦν, μή, quae a duabus consonis numquam incepisse certa ratio efficit, iis tantum locis syllaba producta invenitur, quos a grammaticis corruptos esse aliis rationibus demonstrari potest. Quibus ut alia via medicina adhibeatur, diligenter erit curandum.

SENTENTIAE CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE

DE

SYLLABARUM IN BREVEM VOCALEM DESINENTIUM APUD HOMERUM PRODUCTIONE

INSCRIPTA

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI IN ALMA ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXIX. MENSIS MARTII A. MDCCCLXII.

PUBLICE DEFENDET

MATTHIAS WOLLSEIFFEN

MARCODURANUS RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

C. RANTZ,
C. SCHAEFER, } SEM. PHIL. SODALES ORD.
L. KLEIN, SEM. PHIL. EXTRAORD.

MONASTERII,

TYPIS THEISSINGIANIS.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Philosophia primum inter doctrinas locum suo iure obtinet.
2. Pantheismus et materialismus necessario ad scepticismum ducit.
3. Artis metricae praecepta neque mathematicis, neque vero musicis solis nituntur.
4. Falso nonnulli Creontis in Sophoclis Antigona personae primum locum vindicant.
5. Columna rostrata qualis nunc exstat, Claudii imperatoris aetati adiudicanda est.
6. Falso Quintilianus 1, 17, 12 docet Latinos veteres d paragogico usos esse.
7. Hor. carm. I. post quintum versum punctum ponendum est.
8. Lex Hortensia repetitio legis Publiliae.
9. Lex altera Valerii et Horatii ad dictaturam non pertinuit.
10. Lachmannus recte docet textum carminis Thiudisci, quod „Nibelungenlied“ vocatur, integerrime in codice A conservatum esse.
11. Klopstockius, quod metra Graecorum in carminibus condendis adhibuit, omni laude dignus habendus est.

VITA.

Natus sum Matthias Wollseiffen Marcoduri a. MDCCCXXXVIII. patre Guilelmo, matre Gertrude e gente Briem. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis eruditus gymnasium urbis patriae per octo annos frequentavi. Anno MDCCCLVII. ad hanc almam Academiam migravi, ut theologicis studiis me darem et philologicis. Ac Cappenbergio V. D. Rectore magnifico apud Heisium tum philosophorum ordinis Decanum spectatissimum nomen rite professus per duorum spatium semestrium audivi Vv. Dd. Bispingum, Cappenbergium, Reinkium theologos, Deycksium, Heisium, Clementem b. m., Rospattium, Schlüterum, Winiewskium, philosophos. Posthac ad universitatem Bonnensem me contuli, ubi a Iahnio V. D. Rectore magnifico in numerum civium Academicorum relatus per unum semestre in theologia, verum per tria in philologia studium collocavi. Scholas autem frequentavi Vv. Dd. Dieringeri, Hilgersii, Flossii, Reuschii theologorum, Iahnii, Ritschelii, Schopeni, Springeri, Welckeri philosophorum. Tum ad hanc almam litterarum sedem reversus audivi praeter viros doctissimos supra laudatos Storckium per bis senos menses. Viris his omnibus, quorum quidem benignitati, comitati, bonitati quantum debeam paucis dicere nequeo, gratias ago quam maximas.

